14-3 I-8

HERCVLES PIOCHYMICVS

PETRI IOANNIS FABRI,
DOCTORIS MEDICI, AC
Philoſophi Monſpelienſis, Philo-
chymici Caſtrinouidarenſis.

IN QVO PENITISSIMA,
TVM MORALIS PHILOSOPHIÆ,
tum Chymicæ artis arcana, laboribus Herculis,
apud Antiquos tanquam velamine obſcuro
obruta deteguntur, & obuia fiunt
& clauſa omnia Philochy-
micis reſerantur.



TECA NAZ. ROMA ITTORIO EMANUELE

TOLOSÆ TECTOSAGVM,
Apud PETRVM BOSC Bibliopolam.

M. DC. XXXIV.

[illegible]

B

EMINENTISSIMO CARDINALI DVCI DE RICHELIEV.

EXPECTAVIT *Chymicorum turba Piochimicum hunc* (VIR EMINENTISSIME) *at noluit in lucem prodire, quin prius Gallia monſtris quibus deuaſtabatur, ab Hercule ſuo liberata fuerit, & meritò quidem, cum Te ſalutandum habuerit, nec tanto poterat dignari honore, cum Theſeum ageres*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

& Herculi noſtro inſeruires, ad hoc inſigne & in æternum memorabile facinus abſoluendum. Non erat tibi locus vllus Muſas inuiſendi, etſi verus earum Apollo ab omnibus ſis iudicatus: jacebat Chelys intenſa, ac omni muſico ornatu deſtituta: Pharetra & Arcus eminebant ac nitebant, vt pote Galliæ, & Herculi noſtro perquam neceſſaria, vt Pytho ex Diluuij Gallici putredine ortus tandem interficeretur, & euaneſceret.

Expectauit diutiſſimè Gallia, hoc ſupracæleſte auxilium quod prudentiâ inſigni tua, & virtute directum ac conductum tantæ fuit toti Galliæ vtilitati, quanta ab vllo alio eſſe nunquam potuit. Te iure ergo merito proclamat Gallia patrem, tutorem, conſeruatorem, ac eius renouatorem. Nec vllus tibi inuidet inſigne hoc nomen & eloquium niſi qui prius malus ſit, aut in Regem, aut in Religionem malè affectus: hoc noſter tuúſque

ipſemet Hercules palam loquitur & in intimo cordis ſui clamat tota Gallia: At non ſolum Gallia, ſed etiam Italia fatur, quin imò & tota Europa, imò & totus orbis, te hominibus omnibus tantum præcellere ſentit, quantùm & Gallia ipſa, regnis alijs eminere ſolet. Eminet Gallia te ipſo producto, & tu ipſe emines Gallia à te ipſo effloreſcente: floret Gallia Armano, & Armanus Galliâ floret, floreant ergo in perpetuum ambo, & abſit ab his perpetua Rhamnuſidis ira, vt Aureum viuant ſæculum. Ob quam rem Piochymicus hic meus Hercules genubus aſtat tuis, vt magnitudine, & eminentia tua, quicquid procelloſi erit & tempeſtuoſi procul ab illo eliminetur. In aprico ſic erit, & à liuidis zoilorum linguis omnino vindicatus. Magnum quod in eo eſt, ineſt & certe maximum, cum inſit totius naturæ nucleus, tibi ſoli cuſtodies: Non enim magna vulgo decent, ſed

magnis magna inſeruiunt. Itaque cum magnus ſit Hercules, quæ decent illum inſequitur, imò quæ gloriam eius, ac famam promulgant ac propagant inſectatur & ambit. Ideo non debuit nec potuit ſub maiori quam ſub tua quieſcere vmbra hic Hercules: cui ſi Theſeum te præbeas: Nec enim Herculem ſine Theſeo videre licet, heroica, & Hercule digna erunt eius opera, & monſtra facilè diuincet, quorum ſpolia templo gloriæ tuæ appendenda cenſet, tanquam ſub inſigni & illuſtri nomine tuo, ſibi vendicata. Vale (VIR EMINENTISSIME) *& viue tibi, tuiſque ac Galliæ, donec ſol occaſum neſciat vllum. Caſtrinouidarij pridie Calend Nouembris anni.* M.DC. XXX. *qui fœliciter & ex voto excurrat annus obſequij mei auſpicio inſignis.*

PETRVS IOANNES FABER
Doctor Medicus

PHILOCHYMICIS LECTORIBVS

PRÆFATIO.

FABVLAS Antiquorum quamplurimi hominum non infimæ eruditionis & doctrinæ aniles exiſtimarunt nugas, & ad otij blandimentum humani excogitata figmenta: deponant quæſo ex animis hanc ſententiam & opinionem, quæ opuſculo iſto tractantur, & declarantur erroris aut ſaltem non rite ponderatæ ſententiæ conuincunt eos omnes qui hęc opinantur: Nihil apud antiquos ſecretius

abſtrusíuſque fuit, ac penitioris doctrinæ, quàm quod fabulis deſcriptum eſt: quamuis enim ſcribant Authorum grauiſſimorum permulti, nihil debere eſſe in Philoſophia commentitijs fabellis loci, nihilominus antiquitus hoc non obſeruatum eſt, ſed penitus violatum: Philoſophiæ ſiquidem ſecreta abſtruſiora, Theologiæ naturalis arcana altiora, & Chymicæ artis ferè omnia pulchriora, fabularum tegmine tanquam puluere obuelata & operta fuere, ne omnibus propatula fierent & a fungi hominibus tanquam à brutis, pecudúmque voracibus dentibus vindicarentur.

Quod neotericorum Authorum iam multi, per quam optime ſubolfecerunt, & varias, eáſque perutiles & eruditas poſteris reliquerúnt harum fabularum explicationes, tum vt Philoſophiæ moralis arcana, & Theologiæ naturalis

myſteria quædam graphicè depicta nobis oſtenderent, tum vt etiam Chymicam artem veterem & antiquatam fabularum technis deuolutis & explicatis, nobis nouam ac recentem depingerent: hoc Maierus doctiſſimus & mirificus author, ingenio grandi, capaci, & per omnes artes diffuſo, Neotericorum primus nobis tradidit, explicatis permultis antiquorum fabulis circa Chymicam rem faciendam.

Nullus tamen adhuc Herculeos ſuſcepit labores enodãdos & quid in ipſis occultum & abſtruſum ſit Chymicæ artis & moralis Philoſophiæ, diffusè, minutim ac digeſto ordine pertractauit. Primus ego omnium hunc mihi elegi laborem, Herculeum forſan mihi, & humeris meis impar onus, cuius pondere quicquid anteactis & in lucem editis operibus meis laudis, hono-

tis, & gloriæ conſequutus ſum, ſuffocabitur, & extinguetur: altum enim ſapere velle ſocordis eſt animi, nî præpetibus innitatur pennis.

Ænigmata hæc antiqua, & gryphos obſcuros & ſphynges diſſoluenti opus eſt Oedipo coniectore, ego autem potius Dauus ſum quam Oedipus: Itaque ſi non reſpondeat ingenij mei conatus ænigmatum intricatæ amplitudini, neſcio verè vnde mihi ſint excipiendæ leuitatis ingenij mei excuſationes, niſi diem iuris naturæ dicam, vt reddat rationem, cur acuminis non mihi magis concederit vt omnibus eſſe poſſem delitijs, cordi & amori: quicquid enim eſt mihi facultatis, gratiæ, veneris, leporis, eloquij, & eiuſdem acuminis, Philochymicis libenter omnibus trado, Miſochymicis verò ſi poſſem nollem ita facili & explicato animo loqui, ſtul-

tum enim eſt aſinis præbere lactucas, quibus ſufficiunt cardui.

Ipſi ſiquidem vilipendunt & nauci habent hæc arcana quia pretium eorum & pondus ignorant, Gallo ſimiles Æſopico, qui margaritam pretioſâm, & prægrandem inter fimeta repertam, grano tritici commutauit & prætulit, ita Myſochymici ſi quid inueniant rariſſimi pretij, inter veterum parietinas antiquatas, & caducas, quod luminis & ſplendoris Chymici afferat nitorem & radium, ipſi poſtponunt tricis Peripatheticis eaque ſola Peripathetica laudant inuenta, & cœlo extollunt, quamuis forſan non rectè capiant, quantâ ſint laude digna: laudant quia multi cœlo ipſo beant, non quod ipſi compotes ſint & capaces ponderis Peripatheticorum laudis, pecorum gregis & auium glomeratarum inſtar, quò primæ tendunt, ſequun-

tur & vltimæ, etſi neſciant quò tendant & iter inuium videant.

Si ipſis Miſochymicis ænigmatum cortices & callos obduros præbere mihi fas eſſet, & Philochymicis eorumdem ænigmatum ſuccos dulces mel ipſum & ſaccharum, nullo pacto ambigendum eſt, quin id ex calamo meo extorquerem: ſed quod Philochymicis documento eſt, Miſochymicis nequit eſſe ſocordi grypho, niſi fatali quodam ordine id contingat ac ſerie rerum diuersà, qua quod vni eſt prudentiæ, alteri veſaniæ eſt, id in ſucco melancholico prælucet, & in ipſo vino manifeſtum eſt, hæc duo prudentiam, ſapientiam, & ingenij acumen in multis augent, in alijs verò quamplurimis ſtultitiam multiplicant, & ſocordiam ſopitam refocillant.

Chymica hæc inuenta poſſent pari rerum naturalium effectu ami-

cis & Chymicæ artis alumnis eſſe mentis & ingenij ornamento, cæteris verò (quos odi tanquam prophanum vulgi lutum & excrementum) labori & maniæ: quicquid inde oriatur & contingat non moror, placere omnibus in votis eſt, & ſolem qui omnibus lucet, imitari volo, etſi luminis tantùm, & vtilitatis non mihi arrogare fas ſit: Qualecûmque tamen & quantum ſit lucis, & exiguæ vtilitatis, hilari fronte, expanſo corde, brachijs extenſis, liberâ manu, dare, profundere, imò proijcere cupio, vt omnes, hoc ex fonte Chymico hauriant quidquid eſt opus ad hominis vitam, ſeu potius humanam calamitatem leuibus his fulcris aliquatenus ſtatumiandam & focillandam. Sunt enim ſtyli dicendi duo diſpari moralitate diuerſi, quibus frui poterit Lector, ad miſerias vitæ demulcendas, etſi ſcribendi facilem & intel-

Digitized by Google

ligibilem dicendi facultatem ex animo meo deponendam conſuluere amicorum permulti, in odium & pœnam Miſochymicorum, nihilominus ſemina Chymica campis Spagyricis diffundere ac ſpargere non deſinam, nec rapacium auium pertimeſcam gulam & roſtrum, nec enim propter auiculas ſeminio parcendum, ſat erit meſſis vt tandem ea matureſcente ac collectâ, Hermetis omnes alumni congaudeant ac lætentur.

AD AVTHOREM

HERCVLIS CHYMICI

Epigramma.

AMphytrioniades quamuis proſtrauerit arcu
Monſtra Cleonæis pernicioſa plagis.
Thermodoontæum quamuis ſuperauerit Agmen,
Et rabidas Getico cum Diomede feras:
Denique laudiſonum factis impleuerit orbem,
Et tulerit merito nomina clara polo.
Par tibi laus, ô docte FABER, nam tollit vterque
Lethiferum variâ nobilis arte malum:
Sed fallor, magni num maior gloria FABRI?
Ille necis cauſſam ſuſtulit, iſte necem.

IAC. OVRADOV.

V. C. PETRO IOANNI FABRO CHYMICORVM Principi, in ſuum Herculem Chymicum.

Victor ſubactas jactet Alcides feras,
Iactet Tyrannos morte mactatos truci
Et ſæua lernæ monſtra numeroſum malum,
Aut Sulphuratos regis inferni lacus:
Viciſſet illum dura Parcarum colus
Et triſte fatum, nî ſua magnus Parens
Qui fulminanti concutit mundum manu,
Dediſſet aſtra proli & immeritas domos:
Sed ecce majus: Chymica Doctus FABER
Superauit arte ſæua morborum mala,
Et quidquid atra corpus infirmat lue,
Ipſamque docuit artibus mortem mori.
Sic ſempiternis laudibus cœlum petit,
Sic doctus altum vincit Alcidem FABER
Ars tribuit iſti, quod tribuit illi genus.

Ioannes Ouradou Conſiliarius Regius in Præfectura Lorigenſi, hoc carmen Iambicum in perpetuum beneuolentiæ & obſeruantiæ ſymbolum appoſuit.

Digitized by Google

HERCVLES PIOCHYMICVS.

PETRI IOANNIS FABRI,
Doctoris Medici ac Philoſophi
Monſpelienſis, Philochymici
Caſtrinouidarrenſis.

EX IOVE SVMMO, ET ALCmena enatus Hercules adhuc puer, & in cunabulis iacens geminos angues à Iunone immiſſos elidens, quid Philoſophis tum Moralibus, tum Chymicis portendat ac præſagiat.

CAPVT I.

Hercules ſcopus artis chymicæ.

HERCVLEM verum & vnicum Chymicæ Artis ſcopum eſſe ad quem collimāt omnes Spagyrici fatēdum eſt, tanquam ad huius artis veram Cynoſuram, ex qua ſola dependet eius tuta nauigatio: eâ obſcuratâ ac non lucēte Syrtes & Charybdes euitari nequeunt: Ac vt aërem mundíque huius vaſtiſſimum ſpatium ſinè Hercule obſcurum, tenebroſum imò peſtilentem ac lethalem cenſemus, Hercules ſiquidem

eſt huius mundi Sol & Phœbus, aëris laus & gloria, vt connotat eius nominis etymon Ἡράκλης enim nihil aliud ſonat, quàm aëris gloriam, vnde Sol verè dicitur Hercules, quòd ſit aëris gloria, quæ tota ſita eſt, in radijs & illuminatione Solis, cuius receſſu, profunditate tenebrarum ſpiritus omnino vitæ occulitur. Hic autem Hercules apud Chymicos, non ſecus ac Sol apudmundũ, totam Chymicam illuminat ac exornat artem, eſt eius gloria, decus, ac ornamentũ: abſque enim mundi ſpiritu qui ab omnibus antiquitatis Sophis Hercules dictus eſt, tanquam aëris vera & vnica laus ac gloria, manca eſt Alchymia, tenebris plena, ac lethali ſucco redundans, eo autem nobis oriente ac relucente præſtò adeſt verus Hercules, Sol oculus totius vniuerſi, monſtricida; cùm quicquid ſit monſtri genus in tota rerum natura, ſua innata ac naturali fortitudine ac robore, vincat & ſuperet, vt iam iam clarum fiet ex enodata eius fabula.

Hercules quid ſignificet.

Spiritus mundi Hercules, dicitur.

Qui Herculis hiſtoriam poëticam callent, commentitiam nullo pacto exiſtimabunt, ſed myſterium occultum naturæ metallicæ, quod rugoſa cortice fabularum techna, in publicum prodit, ne omnibus ſit cognitum etſi omnibus ſit obuium.

Herculis hiſtoria tota myſtica eſt.

Quid enim à mendacio & commen-

Google

to magis alienum eſſe poteſt, quàm quod oculis noſtris aſſiduè ſubjicitur, & in propatulo omnibus eſt?

Alcmenam legimus Amphitryonis vxorem perpulchram, ſed Regiæ majeſtatis crimine temeratam, conſortem ac infidam coniugem, quæ dolo Mercurij verſipellis Soſiam fingentis ac ſimulantis, & dolo ipſius ſummi Iouis Amphitryonis ſpeciē ſuſcipientis, tribus diebus integris vna ſola nocte connexis Herculem concepit.

Si hæc fabula, otioſi eſſet Poëtæ cuiuſdam commentum, & nullą myſteria naturæ ſecū recluſa coërceret, quid quæſo poſſet excogitari impius, & breuibus gyaris & carcere dignius; quàm Deo ipſi probitatis ac pietatis authori ſtupra attribuere, fraudes ac dolos omnes, & quicquid eſt in humana imbecillitate peſſimum, illi ipſi, quamuis ſummo bono aſcribere! non eſt Poëtis tantùm ſceleris imponendum, cum virtutis, ac pietatis ſint fontes, ſcelera carpant, ac ſatyrico ſtylo perſequantur: Nihilomin⁹ ſi hæc ita ieiunè interpretentur, vt ſonant ex fonte ipſo virtutis & pietatis, vitium ipſum purum ſcaturiet & haurietur: nefas eſt, & quidem ſummum, hoc ſolùm, ſolo mentis conamine per vagos imaginationis noſtræ loculos ſpatiari permittere. Virus omne in cortice eſt, virtus autem in

Poëtæ ſub mendacij cortice veritatem occludunt

intimis horum verborũ medullis certiſſimè latet, vt iamiam videre eſt, ſequenti interpretatione, quæ duplici ſuo ſenſu, vno, moralem nobis philoſophiam pandit, altero penitiſſima chymicæ artis arcana recludit.

Alcmena quid indicet moraliter.

Alcmena mulierum robuſtiſſima, ſic enim dicta eſt quod robore polleret, voluntas eſt humana, qua in rerum natura nihil fortius, hæc coniugali nexu intellectui humano, tanquam regi potentiſſimo, connexa eſt: Iupiter Amphitryonem ſimulans, eſt diuina ac cœleſtis inſpiratio, quæ voluntati humanæ ſub ſpecie rationis & intellectus, qui eſt verus Amphitryo, maritali iugo ſe cõnectit, tandiúque immoratur, donec voluntas humana virtutem ſeu amorem diuinum concipiat.

Iupiter quid indicet moraliter.

Amphitryo quid indicet.

Hercules & Iphiclus quid indicent.

Et vt Alcmena gemellos concepit ac peperit, Herculem ex Ioue & Iphiclum ex Amphitryone; ſic & voluntas humana concipit ac parit gemellos, amorem ſuiipſius ex intellectu, & amorem diuinum ex gratia, ſeu ex Ioue ſummo, qui vix enatus & in cunabulis adhuc vagiens, vitia habet elidenda, ac dolores ſuperandos, qui à mundo tanquam à Iunone euincendi proponuntur.

Serpẽtes quid indicent ab Hercule eliſi.

Soſias eſt ſenſus communis qui intellectui tanquam Amphitryoni obſequitur ac inſeruit: hic ſeruus ab Ange-

Soſias quid ſit.

lo cuſtode noſtro, tanquam à Mercurio ſummi Iouis aſſecla illuditur & illuſionis illius cautela, voluntas noſtra, nullatenus ab internis diuinæ inſpirationis illecebris diuertitur, donec tandem amore diuino, tanquam alio Hercule prægnans fiat.

Tres illi dies ad Herculis conceptionem impenſi quid ſint.

Tres illi dies integri, vnica tantùm nocte copulati, qui ad progignendum Herculem fuerunt impenſi, nobis indicant tempus diuturnum, ac longinquum, quod amori diuino progignendo impenditur; non enim ſubitò, & vnico ad Deum conatu, & elatione, amor ille diuinus, & Hercules perficitur,& completur;ſed multis ac ſæpe repetitis mentis noſtræ diuinis cogitationibus, tamquam cœleſtibus illecebris, ac baſiolis, Herculem hunc concipimus, aduersùs quem illicò ſurgit Iuno, ſeu mundus ac Diabolus, qui veri Dei ſe germanum eſſe contendit, ac Herculi noſtro magnopere inuidet, & mōſtra quotidie illi debellanda proponit, ac obijcit.

Hæc eſt interpretatio, quæ moralem Philoſophiam docet, viam cœleſtem, ac beatam, qua vitiorum Syrtes æſtuoſas facile eſt effugere, & virtutis arduum iter, etſi ſalebroſum ingredi, ac terere pergratum eſt: ſic enim ſolum Herculis demeremur nomen & gloriam, & apotheoſi cæleſti

donamur, poſtquàm monſtra omnia huiuſce mundi debellauerimus; non datur enim præmium certaminis, niſi his qui ſtrenuè certauerint, vicerint, brauiúmque virtutis retulerint.

Interpretatio verò, quæ chymicum Philoſophum ſpectat, alium ſenſum habet, nihilominus verum, ac certum, quo Chymicæ artis alumnis manifeſtatur principium artis, & Mercurius Philoſophorum indicatur, ex quibus materijs enaſcatur, & quid, cùm jam natus roboris præſtare debeat.

Alcmena chymicè quid, & Iupiter.

Alcmena ſi quidem terra eſt metallica, quę auro tanquam Amphitryoni nexu iugali connectitur: aurum enim Regum ſymbolum eſt; Iupiter amore Alcmenæ captus, eiúſque amplexus quæritans dolis ac technis ad hoc paratis, metallum eſt proprium ac peculiare, quod dolis & aſtutijs artis noſtræ, terræ metallicæ, ſeu Alcmenæ ſinubus inſinuatur, & permiſcetur, dúmque amœnis fruuntur amplexibus, Mercurius, ſeu argentum viuum, quod ſeruus Philoſophorum eſt, ſeruum Soſiam illudit, ſeu humidum primigenium auri diſſoluit, eiúſque ſpeciē ſic ſuſcipit, dum Iupiter & Alcmena ſimul coëunt, hoc eſt terra metallica noſtra prægnans fit, ac turgens humido copioſo & abundanti metallico, quod leuiſſima diſtillatione tempore partus

Soſias chymicè quid.

Digitized by Google

ſtillat in aquam albiſſimam fumoſam valde, & aëream quæ Herculis nomine decoratur, ob inſignes & potentiſſimas eius virtutes ac energias: cui ſtatim in ipſis incunabulis à Iunone immittuntur gemini ſerpentes ipſi elidendi, hoc eſt ſales gemini vnius & eiuſdem generis, & veri fratres immittuntur ipſi aquæ eius efficacitate cõterendi ac occidendi, à Iunone, ſeu à chymica arte, quæ vera Iuno eſt, diuitiarum ac veræ gloriæ Dea.

Hercules chymicè quid.

Serpentes ab Hercule eliſi, quid chymicè.

Iuno quid ſit chymicè.

Serpentes autem illi gemini, ſunt ſales ipſi metallici, qui ſol & luna dicuntur, ſeu frater & ſoror, qui nulla alia aqua interimi poſſunt, niſi autem putreſcant ac moriantur nullius ſunt momenti: dicuntur autem ſerpentes, quod vt ſerpentes terra enaſcantur, terra viuant, ac iuueneſcant, & variegata veſte induantur.

Nihil eſt in tota Chymica arte nomine ſerpentis & draconis frequentius, nullos tamen ars Chymica ſerpentes veros obtinet, ſed ſimulatos ac ſymbolicos, & horum nomine ſales metallici intelliguntur, quorum copioſus & frequens eſt apud chymicam artem vſus.

Iphiclum quem vnà cum Hercule peperit Alcmena, dicimus eſſe humidum aquoſum Mercurij noſtri, quod vnà cum Mercurio noſtro, ſeu Hercule

Iphiclus chymicè quid.

prodit in lucem qui ab ipſo Hercule ſeparandus eſt varijs artis noſtræ diſtillationibus.

Sic Poëtæ antiqui, qui myſteria hæc naturæ calluerunt rugoſa fabellæ cortice, doctis & naturæ ſacris initiatis oſtendunt, quod ſtultis pandere nolunt: eodem etiam ego ſtylo, ſed lucidiori & clariori herois noſtri res geſtas perſequar omnes, & artis Chymicæ arcana pandam.

THESPII FILIAS NVMERO quinquaginta Hercules adhuc puer, at corporis & animi vigore præſtans vna nocte comprimens & ex his quinquaginta filios ſuſcipiens, quid indicet tum Moralibus tum Chymicis Philoſophis.

CAPVT II.

IMpium ac fœdum, omniſque turpitudinis plenum prima fronte videtur, hoc Herculis opus, & ſcelus potius quàm præclarum facinus habendum: nihilominus ſi ſemota omni vulgari & triuiali conceptione id exponamus, puram putam redole-

re virtutem videbimus, animíque & corporis robur, vel mirum & ſtupendum chymicæ artis opus indigitare videbimus.

Quid quæſo in tota rerum natura, animi,tum corporis robur ac virtutem teſtari poteſt, & nobis ipſis certius, & conuenientius illam indicare, quàm quod eſt roboris ac virtutis vnica baſis, ac fundamentum. Nullus vnquam hominum in dubium reuocauit, quin virtus & energia totius naturæ, tum vniuerſæ,tum ſingularis in ſemine conſiſtat, & in progignendis ſui ſimilibus: tota vis naturæ huc tendit, ab hoc fine ſi fruſtretur, effœta eſt & elanguida: quimimò antiquitus vt robur corporis, & animi virtutem indicarent, qui hieroglyphicis ſapientiam occultabant & rerum omnium notitiam obſcuro illo emblematum velamine obumbrabrabant, hominis pudendum tum maris tum fœminæ depingebant, vt apud Pierium legere eſt, ac videre. Et iure quidem merito, natura ſiquidem poſuit, in his partibus ſedem humani ſeminis, quod in eo abutamur: quid in rerum ſerie præſtantius ac nobilius reperiri poteſt, & quid eo fortius, robuſtius ac magnificentius inuenire poſſumus, cùm illud ſit centrum virtutum omnium cœleſtium & infernarum: homo enim hinc enaſcitur, qui

Semen eſt ſymbolum virtutis ac roboris.

Hominis pudendum quid indicet.

Homo eſt cētrum totius vniuerſi. totius vniuerſi eſt compendium, in quo virtutes omnes naturales ac ſupercœleſtes reconduntur.

Nihil ergo mirum ſi antiqui ſophi hoc naturæ myſterium contemplantes virtutis ac fortitudinis hieroglyphicum in vtriuſque ſexus humani pudendis poſuerint. *Fortitudinis ſymbolum eſt hominis pudendum.*

Imò etiam multò minùs mirari debemus Herculem noſtrum Theſpij filias numero quinquaginta vna nocte comprimentem,& ex his poſtea quinquaginta filios ſuſcipientem, virtutis ipſius obſignare facinus. *Theſpij filiæ quid indicēt.* Quod vt poſteris comprobatum relinquam, ſciant neceſſe eſt, Theſpij filias quinquaginta denotare vitioſas actiones, quæ in epulis & conuiuijs celebrari ſolent,quas ad quinquaginta numero recēſere fas eſt. *Ex vitijs conuiuiorū quid virtutis oriatur.*

1. Comeſſationem, putà, ex qua ſuſcepit Regimen victus.
2. Ingurgitationem,quæ dedit modeſtum comedendi ordinem.
3. Perpotationem, quæ tulit ſobrietatis cultum.
4. Ebrietatem, quæ nobis dedit ſitis extinguendi temperatum modum.
5. Calumniam, ex qua ſuſcepimus veræ laudis ſermonem.
6. Iniuriā,ex qua accepimus jus ipſum.
7. Rixam, quæ nobis communicauit Pacis germanum.
8. Pugnam,quæ nobis fecit tranquillitatis Alumnum.

Digitized by Google

9. Meretriciam diſciplinam, quæ nobis tulit Suadæ filium.
10. Scortationem, quæ nobis dedit caſtitatis nexum.
11. Ignauiam, ex qua ſuſcepimus fortitudinis filium.
12. Socordiam, ex qua accepimus animi vigorem.
13. Veternum, ex quo ortus eſt moderatus dormiendi vſus.
14. Luxuriam, ex qua originem habuit temperatus vitæ modus.
15. Impenſam, quæ nobis fecit parſimoniæ quæſtum.
16. Acclamationem, quæ nobis dedit Silentium.
17. Vomitionem, ex qua habuimus jeiunium.
18. Ructationem, ex qua accepimus Suſpirium.
19. Pedendi licentiam, ex qua ſuſcepimus honeſtatis vinculum.
20. Choream, quæ nobis tulit cœleſtis lætitiæ ſymbolum.
21. Inhoneſtam deoſculationem, quæ nobis dedit legitimum amorem.
22. Geſticulationem libidinoſam, quę nobis fecit modeſtiæ ornamentum.
23. Illecebram, quæ nobis attulit laborem.
24. Titillationem, ex qua ſuſcepimus grauis vitæ cultum.
25. Oſcitationem, quæ nobis fecit vi-

gilandi opportunum tempus.

26. Pandiculationem quæ ortum dedit Exercitio.

27. Bacchi furorem, qui originem dedit Sapientiæ acumini.

28. Sannam, quæ in lucem protulit honorem.

29. Cachinnoſam irriſionem, quæ attulit honeſtum colloquium.

30. Inſulſam hilaritatem, quæ peperit modeſtiæ ſpecimen.

31. Aleam, quæ ex ventre ſuo eduxit honeſtum oblectamentum.

32. Cauillationē, quæ decus portauit.

33. Pellicatum, qui nobis fecit humanæ miſeriæ ſubſidium.

34. Somnolētam taciturnitatem, quæ nobis dedit vigilans eloquium.

35. Ventriculi dolorem, qui nobis attulit eiuſdem ventriculi Robur.

36. Capitis torpedinem, quæ protulit ſenſuum externorum vigorem.

37. Grauedinem, quæ nobis portauit Senſuum externorum Robur.

38. Corizam, quæ nobis attulit Senſuum externorum Acumen.

39. Oris fœtorem, ex quo ſuſcepimus ſuauiſſimum halitum.

40. Ophthalmiam, ex qua habuimus Viſus Acumen.

41. Tremorem membrorum, ex quo ortum eſt eorumdem ſtabilimentū.

42. Corporis vacillationem, quæ dedit

conſtans valetudinis fulcrum.

43. Balbutiem, quæ nobis peperit Eloquentiæ Deum.

44. Fatuitatem, quæ ortum dedit ingenij Acumini.

45. Animi languorẽ, qui protulit eiuſdem vigorem ac florem.

46. Febrem, quæ in lucem dedit vitæ verè vitalis fomitem & ignem.

47. Colicã, quæ peperit dolores quoſcumque tolerandi tenacem virum.

48. Arthritidem, quæ protulit patiendi ac ferendi æquum Animum.

49. Calculoſæ veſicæ mineram, quæ dedit vitæ humanæ tædium.

50. Paralyſim, ex qua originem habuit membrorum omnium ad labores quoſcũque ſuſcipiendos promptus ac facilis habitus.

Hi ſunt filij Herculis ſeu virtutis, qui Theſpiadæ dicti ſunt, quòd ex impuris matribus conuiuia & epulas ſciſcitantibus ortum habuerint: hi tamen omnes Iolaum Iphicli fratris Herculis filium ſecuti ſunt in Sardiniam ibìque vrbes conſtruxerunt, hoc eſt virtutes hæ, Iolaum ſemper comitatæ ſunt, & Sardiniæ vrbes ac ciuitates decorarunt, quòd Bacchanaliorum & Hilariorum turpes omnes comeſſationes, & vitia reformauerint, & in honeſtos ac dulces hominum conuentus conuerterint, in quibus nihil turpitudinis & vitij viſeba- *Filij Herculis Theſpiadæ dicti qui.*

tur, ſed virtutis ipſius vndiquaque flagrabat odor: vnde nihil mirum ſi Hercules qui eſt ipſamet virtus & amor diuinus apud Morales Philoſophos vna ſola nocte compreſſerit quinquaginta Theſpij filias, hoc eſt vitia quinquaginta repreſſerit vnico conuiuio nocturno, vbi decumbi ſolebat antiquitus, & vitijs omnibus vnà cum vino & cibo ſe coinquinari: virtus ſiquidem & amor Diuinus ſubitò comprimit vitia, quæ illi occurrunt, & ex his generat virtuoſos & honeſtos tum animi, tum corporis habitus, qui liberi maſculi Herculis ſeu virtutis cenſentur.

Virtus maſcula eſt, vitium verò fœmina.

Virtutis ſiquidem omnes habitus mares cenſentur apud antiquos, vt & ipſorum vitiorum praui habitus feminei ſexus nomine indicati ſunt: vnde & Theſpij filiæ vitia coindicant, & earum ex Hercule nati probos virtutis habitus ſolo maris nomine commonſtrant.

Theſpius quid chymicè indicet & Hercules.

Chymici verò Philoſophi, alium ſibi proponunt huius fabellæ ſenſum, & ſic interpretari oportere contendunt: Per Herculem Mercurium intelligũt, per Theſpiũ Erichthei Regis Athenienſis filium, materiam crudam & incoctam Philoſophorum, cuius quinquaginta partes vnica nocte, vnicóque concubitu in philoſophorum

lectulo, perquàm optimè clauſo, ab Hercule noſtro, adhuc puero, ſed corporis robore præſtanti, hoc eſt a Mercurio noſtro recenter fixo & perfecto, comprimuntur; hoc eſt prægnantes fiunt Mercuriali virtute, & Herculeo robore, & pariunt mares robuſtiſſimos quinquaginta, hoc eſt, partes hæ ſingulæ multiplicant agendi ſuam virtutem admixtione Herculis noſtri, qui non ſolùm has omnes quinquaginta partes, ſeu pondera ſuiipſius æqualia perficit; ſed adhuc vnaquæque illarum partium aliam perficit partem: quod idem eſt ac quinquaginta Theſpij filias Herculem comprimere, & ex ſingulis partum maſculum ſuſcipere. Partes enim ſingulæ, dum tanguntur à Mercurio noſtro, perficiuntur; non ſecus ac fœminæ omnes vltimam ſui finis perfectionem obtinent, dum vtero gerunt & puerperæ fiunt, viro cõpreſſæ.

Fœmina vtero gerẽtes vltimam ſui finis perfectionem obtinẽt.

Qui arcani Chymici multiplicationem & incrementum viderunt, hanc interpretationem catillantis animi labris prælibabunt, & quantum ingenij, ſtudij, ac ſudoris impenderim cognoſcent, vt illã ex Theſpij proſapia decerpere valerem, quam vt adhuc comprobatam & rationibus ſtabilitam relinquam, Theſpij propaginem altiùs repetam.

Multiplicatio arcani Phyſici per Theſpij filias indicata.

Diximus Erichtheum Regem genuiſſe

Theſpium, quem ipſa Minerua è rure, ſiue ex loco infimo & vili ſuſcepit, aluit, educauit, & Athenis pro Rege credidit: quod moraliter interpretari poteſt de communi, ex lege naturæ viuendi modo, qui à Deo Philoſophis traditur, ex quo ciuilis viuēdi methodus exoritur, tanquam alius Theſpis, ex quo deinde vitia quamplurima exſurgunt, quæ à virtute tanquam ab Hercule reprimi debent.

Explicatio Chymica fabulæ Theſpij.

Chymicè verò aliud nobis indicare non poteſt hæc fabella, quàm ſuccum metallicum crudum & rudem, qui ruri enatus, & ex loco infimo, terreſtri putà, ac vili ſuſceptus à Chymica arte, tanquam ab altera Minerua coquitur, & perficitur, & Athenienſi populo pro Rege creditur, hoc eſt Muſis & litteris amicis, ac Philoſophis pro magno theſauro traditur, ex quo deinde naſcitur Theſpis noſter ſiue Mercurius Philoſophorum, cuius quinquaginta partes, vnica & ſola lapidis Phyſici proiectione perficiuntur, & permutantur in quādam materiam, quæ adhuc ſecum coërcet lapidis Phyſici virtutem & energiam, & ſic demum multiplicantur hæ partes, donec in maximam & prægrandem excreſcant molem.

Ciuitates & vrbes multiplicationem chymicam indicant.

Quod indicatur per vrbes & ciuitates à Theſpiadis conditas & extructas. Vrbes enim & ciuitates extructæ nunquā fuerunt

fuerunt niſi ex humani generis multiplicatione & incremento; hoc autem incrementum non inconcinnè nobis indicare poteſt lapidis Phyſici augmẽtum & incrementum, per Theſpij filias fabellæ velamine ac tegmine obumbratum, de quo ſatis ſupérque dictum ſit, vt ad tertium Herculis noſtri laborem tranſeamus.

ADVLTVS IAM HERCVLES hydram colubris, & capitibus pullulantem, face & ferro in Lerna palude opprimens quid indicet Moralibus & Chymicis Philoſophis.

CAPVT III.

QVi Virtutis iter arduum ſequi cupiunt vt tandem vitæ beatæ ac ſecuræ palatiũ ingredi queant, eiúſque ſempiternis ac jugiter catillãtibus bonis perfrui poſſint, Herculis iam adulti vias ac tramites inſequi habent, & potiſſimum hydram colubris & capitibus pullulantem, face ac ferro in Lerna palude opprimere.

Ad virtutis inſequendam viam quid agendum ſit.

Virtutis enim eſt, & quidem ſupremæ & magnificæ, vitia omnia quæ in

Virtutis ſuprema eſt vitia ſuperare.

Digitized by Google

deprauata animi noſtri voluntate enaſcuntur ſuperare: hæc enim hydram imitantur; enaſcuntur ſiquidem non ſecus ac hydra, in paludibus, ac vdis vitæ noſtræ locis, in híſque aluntur, creſcunt ac miris in modis pullulant.

Paludes & vda loca quid indicent.

Sunt autem vda loca, & paludes nobis vitiorum vbera & vteri, quòd paludes ſtagnantes aquas otioſas & corruptibiles continentes, nobis vitam otioſam exhibeant ac repræſentent; in paludibus equidem nihil aſſolet enaſci, quod non ſapiat corruptionem & quod veræ vitæ bellum & pugnam non inferat, ideò finxerunt Græci ſapientes hydram nullis ſerpentibus veneno inferiorem, in Lerna palude enatam fuiſſe: hæc toti vicinæ regioni adeò infeſta fuit, vt ea ratione prouerbio fuerit, λέρνη κακῶν, malorum Lerna, pro malorum omnium cumulo & aceruo. Pari ac non diſſimili ratione, ſi in vitæ humanæ vniuerſo ſpatio & æuo, Lernam paludem, hoc eſt, ſegnitiem expandi permittamus, hydra malorum, vitiorúmque aceruus ingens ac prægrandis germinat & accumulatur, quem vt deſtruamus ac proteramus, virtute Herculis, ſeu robore inſigni nobis opus eſt, nec ſolùm in hiſce malis deuincendis ferro vtendum eſt, ſed & igne; ferrum ſiquidem germinata tantùm & producta euellit, & truncat,

Virtus productrix ferro nō extinguitur ſed igne.

at producendi, & germinandi virtutem & energiam non euellit, ſed intactam & illæſam in radicum centro relinquit.

Vita ſancta à vitiorum ſemine libera eſſe debet.

Vita verè beata, ſancta, & intemerata non ſolùm à vitijs libera eſſe debet, ſed etiam à vitiorum germine ac fomite penitus vindicari meretur; quocirca radices euellendæ ſunt & igne cremandæ vt penitus pereat vitiorum irradicabile germen. Sic hydram vitiorum omnium matrem & ſyluam colubris & capitibus pullulantem in Lerna palude noſtra, hoc eſt otioſa vita opprimimus & ſuffocamus, ſic Græci ſapientes moraliter graphicè nobis hoc ſchemate conſummatum plenúmque ſortis humanæ bonum depinxerunt.

Quid Chymiæ indicatur per Hydram capitibus pullulantem.

Aliud etiam nobis hoc obſcuro emblemate, perquàm optimum repræſentarunt naturæ myſterium, quo cognito, diuitum omnium regum & imperatorum pauimenta ridere poſſumus, imò & totam cum Diti ſuo opem: tantum enim eſt, & elatum hoc naturæ ſacrum, vt à nullis Sapientum vnquam depictum ſit, niſi ænigmaticôs, & per tropos & figuras, vt in præſentiarum hoc in Capitulo videre licet, in quo Hercules, vt antedictis demoſtratum eſt, Mercurium Philoſophorum repræſentat, qui philoſophi-

co modo præparatus & ſic adultus factus, hoc eſt robore quammaximo præditus ac ſuffultus, ſemen metallicum crudum & incoctum colubris & capitibus pullulans, hoc eſt multipliciter, & infinitis fere modis enaſcens & venenum ſuum extollens in Lerna palude, hoc eſt in aqua chymica, quæ tanquam palus quædam in phiala rotunda concluditur, ac in ea veluti in palude ſtagnatur, ex qua aqua exſurgit hydra Chymica, hoc eſt ſemen metallicum, quod varijs capitibus, ſeu rerũ figuris ac coloribus ſe extollit ac repræſentat, quod niſi continuato igne & adiuuante ferro, ſeu Marte exſcindamus, hoc eſt ad coctionem debitam, ſeu ad vltimam ſui perfectionem conducamus, nondum hydram opprimimus, donec colorum varietatem ex cruditate Mercurij exſurgentem & pullulantem compeſcamus, vt in vnũ rubeum colorẽ perfectum ac vltimũ, permanentem ac perſiſtentem reducamus: Alioquin Lernam malorum Chymici philoſophi in ſeipſos retorquent; nihil ſiquidem ex tali opere emolumenti ipſis redundat, niſi nocumenti plurimum & damni, quod illis Lerna malorum eſt. Sic hydra Lernea ſemen metallicum crudum & incoctum vaſi philoſophico incluſum, variiſque rerum figuris ac formis Pro-

Hydra Chymica eſt ſemen metallicum.

tei virtute mira ſeipſum varians nobis repræſentat.

Quid enim hydra aliud fuit apud antiquos, quàm ſerpens aquis degens multíſque capitibus collum extollens cui dempto ac exciſo capite vno, decem hinc enaſcebantur? Semen item metallicum quid aliud eſt, ſi Philoſophis ſpagyricis rei metallicæ peritiſſimis credendum eſt, quàm quidquid ſerpentis modò terrarum antris ſerpit, & in aquis degit, vtpote in aqua ortum & propaginem ducens: Semen enim metallicum ex elemento aquæ ſumpſit exordium, vnde metalla cuncta fluunt & liqueſcunt diſſoluta ac fuſa eorum omnium compagine igne forti ac robuſto, qui materiam metallorum primam ac eorum ſemen explicat, & oſtendit, cui ſi caput vnum exſcindamus, hoc eſt colorem vnum proteramus, quamplurimi exſurgunt alij colores, qui veluti capita pullulant rerúmque nouas formas, ac multiplices nobis exhibent.

Hydra quid apud antiquos.

Seminis metallici & Hydra comparatio.

Vel vt clariùs explicem & intima philoſophiæ metallicæ ſecreta, & arcana patefaciam, hydra Lernea nobis erit ſemen metallicum, cui ſi caput vnum ſcindamus, hoc eſt ſi philoſophica methodo ipſum ſemen metallicum percoquamus, in ipſa etenim percoctione ita alteratur & mutatur,

Hydra lernea, multiplicationem Chymicam oſtendit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

vt verè mori, & nouum vitæ germen ſibi adipiſci videatur, & in eo vitæ nouæ ſurculo, decuplum maius, quàm antea ineſt virrutis robur, & ſic vno capite excuſſo exſurgunt capita decem, quod emblemate noſtro Lerneo, ſatis clarè admodum indicatur, & Philoſophis Chymicis multiplicationē arcani metallici non obſcurè oſtendit.

Quoties enim arcanum iſtud percoquitur, & recenti Mercuriali ſucco diſſoluitur, tunc temporis hydram Lerneam capitibus, ac colubris pullulantem opprimimus eiúſque colla reſcindimus, hoc eſt eius robur, virtutem & facultatem decuplo maiorem quam antea multiplicamus.

Hydræ Lerneæ fabula in mineralibus, vegetabilibus, ac animalibus explicatur.

Id non ſolùm in arcano metallico, & in admirabili mineralium metamorphoſi fieri ac celebrari cernimus, ſed etiam in omni vegetantium productione: Dum enim granum aliquod, in centro cuius ſemen vegetabile concluditur, in terram proijcitur, vt in ea putrefiat, ac moriatur, tunc temporis ſemen vegetabile proſternitur, eius caput vnum perit, ſeu exſcinditur, adeò vt eius ſeminis mortem differat hæc ficta mors, illíque ſaluti ſit ac vitæ, mori videri ac perire velle; illico enim exſurgunt ex vno capite excisso, decupla ac plura capita, quàm fuerint antea.

Sic hydram Lerneam quam fictam

ac fabuloſam fere credunt omnes, veram, per totum orbem expanſam cernimus & collis capitibúſque pullulantem, non ſolùm in mineralium progenie, ſed & in vegetantium familia conſpicere licet.

Quinetiam in animantium ſeminibus, eandem Lerneam Hydram animaduertere licet. Solum ſiquidem & vnicum animal quoties ſuum ſemen vitæ ſuæ radicem, ac fundamentum, in terram verè ſuam ac propriam proijcit, vt ibi moriatur, & putrefiat, ſecundùm leges naturæ, tunc temporis multiplicatur ac numerum auget.

Semen cuiuſcumque rei quomodo Hydra dicatur.

Semen enim cuiuſcumque rei hydra Lernea dici poteſt, multis de cauſis. Primò quòd ſemen omne humidis circundetur ſuccis, híſque foueatur ac nutriatur, non ſecus ac palude & vdo loco Lernea noſtra hydra. Secundò quòd omne ſemen vt multiplicetur & creſcat, moriatur ac pereat neceſſe eſt, veluti Lerneam hydram capitibus exſpoliari fabula teſtatur, vt eius virtus ac robur fortius fieret. Tertiò, quòd omne ſemen ſeipſum renouet, non diſſimili prorſus ratione, ac ſerpentes omnes ſingulis annis veteres exuuias deponunt, nouámque inducunt pellem veluti recentem induunt ætatem. Quartò quòd omne ſemen tota polleat germinandi virtute & ſeipſum

producendi facultate, adeò mira & efficaci, vt niſi ferro & igne deleatur, extingui in ipſo facultas illa nequeat, non ſecus ac hydra Lernea noſtra, nulla vi vnquam potuit opprimi, niſi poſtquam Hercules ferrum & ignem adhibuerit in ea delenda, eiúſque robore extinguendo.

Virtus ſeminalis totius vniuerſi quãdo extinguetur.

Virtus ſiquidem ſeminalis, qua mundus vniuerſus generaliter repletur, nulla virtute ac agendi facultate extingui poterit, donec Hercules diuinus, qui erit ſupremus Deus, verus Hercules, & huius mundi vera & vnica gloria, ferrũ & ignem adhibuerit huic Lernoſæ hydræ, quæ tũc temporis germinandi ac pullulandi facultatem omnem amittet, nouus conſiſtet orbis & mundus abſque vlla productrice ac germinatrice facultate verus elucebit mundus.

Hydra vitiũ etiam repræſentat.

Hæc etiam noſtra hydra, vitium in genere nobis exhibere poteſt, quòd nullis vnquam humanis viribus extingui poterit, donec Chriſti aduentu mundus vniuerſus igne iudicetur: tunc enim temporis vitium omne domabitur, & in abyſſum proijcietur, nec eius facultas ac virtus extendetur vltra vt iam extenditur, quod ſemper magis ac magis excreſcit, ac de ſe noua vitia nouis dat incrementis, adeò vt veram Lernam malorum producat: At in vl-

timo ac ſupremo mundi iudicio aderit verus Hercules, veri Iouis & Alcmenæ ſacræ filius, qui hydram Lerneam hanc colubris ac capitibus pullulantem ferro & igne opprimet & verè extinguet, felix qui iſtius hydræ ſanguinis tabo impollutus ac incontaminatus reperietur, vt vnà cum Chriſto Hercule ſuo vero monſtricida, verus Iolaus ferro candenti cruorem hydræ reſtringere valeat, ac cohibere & eatenus veram iuuentutem nunquam ſeneſcentem recuperare queat. *Chriſtus verus eſt Hercules.*

CERVAM AERIPEDEM aureáque habentem cornua in Menelao monte curſu comprehendens atque interficiens Hercules, quid nobis moraliter ac chymice indicet.

CAPVT IIII.

QVis vnquam hominum vidit ceruam aëripedem aureáque habentem cornua, hoc omne fictitium eſt, & merê poëticum, natura nullibi locorum ac terrarum, ſimilia producit ac generat animalia. Quid ſibi ergo volunt ſapientes Græci per Her-

culem hoc inauditum animal & inuiſum inſequentem? Varij variè hanc interpretari poſſunt fabellam: Qui ethicis ac moralibus addicti ſunt, dicere poſſunt occaſionem, fortunam, ac fauorem aëripedem eſſe ceruam, aurea habentem cornua, quam vir fortis prudens, ac ſapiens per Herculem indicatus, in Menelao monte, hoc eſt, in regijs palatijs & Principum, Magnatumque contubernijs curſu, hoc eſt magno animi vigore, corporíſque laſſitudine &angore conſequitur ac tandem comprehendit, ac potitur.

Cerua aëripes quid ſit.

Velociſſimum animalium omnium ceruus eſt, & vt adhuc velociorem hāc ceruam poëtæ Græci oſtenderent aëripedem finxerunt eſſe. Quid enim aere leuius ac velocius, cuius originis venti ſunt qui velocitate velocitatem ipſam antecellunt. Occaſionem, fortunam, ac fauorem in rerum humanarum ſorte dicere verè poſſumus ceruam aëripedē, cū verè præcipiti curſu ac velociſſimo tranſitu, oculos hominum feriat ac citiſſimè tranſeat, nec datur cuique hominum eam curſu comprehendere, niſi Herculea polleat virtute, & Dijs ſit genitus, aut ardens euehat ad æthera virtus; Qui iamiam in regum principúmque aulis fortunam venantur ac fauorē, fideles & oculati huiuſce rei teſtes eſſe poſſunt, cùm toto vitæ ſuæ tempore

Occaſio ſeu fortuna eſt verè cerua aëripes.

ſyluas humanæ pompæ incolant ac habitent, vt tandem fortunam nanciſcantur aurea habentẽ cornua, hoc eſt præpotentem, prædiuitem, ac eximiam, ſed pauci quos æquus amauit Iupiter Dijs geniti potuere hanc ceruam aëripedem aureáque habentem cornua in Menelao monte curſu comprehendere.

Ceruа aëripes quid chymicè ſit.

Qui chymicis nauant operam citiùs multò, ac tutiùs ceruam hanc venari poſſunt. Sed antequam id conſequantur, diſcant neceſſe eſt ceruam hãc aëripedem, & aurea habentem cornua metallicum eſſe ſuccum, ſeu Mercurij partem volatilem, quæ vt ætherea eſt, ac aërea, propter eius ſubtilitatis ac penetrantis virtutis efficaciam, aëripes verè dici poteſt, vnde à Philoſophis omnibus aër, æther & æthelia nuncupatur hæc pars Mercurij metallici, quæ propter eius volatilitatem ac infixam naturam, aër dicitur ac æther. In Menelao monte curſu ab Hercule comprehenditur ac interficitur, hoc eſt à virtute ac robore fixante ſalis metallici in capitellis vitreis, quæ montes chymici verè ſunt & dicuntur, detinetur ac coagulatur, eiúſque viuifica virtus motu plena compeſcitur, & ita neci datur, ac curſu comprehenditur, inſequitur enim illam vis fixans vbique donec ipſam comprehendat.

Montes Chymici quales & qui.

Hercules eſt vis fixans ac coagulans.

Habet autem hæc pars Mercurij au-

Cur Mercu-

Digitized by Google

rius Philoſophorum habeat aurea cornua.

rea cornua, quòd verè virtus artis auriferæ in ea lateat, & ipſamet pars ſit principium,& verum auri ſemen. Apud etiam omnes Philoſophos ſemper cornu interpretatum eſt, pro virtute ac robore cuiuſcumque rei, quòd cornu durum quid ſit ac forte,ac cornuta animalia cornu vtantur pro defenſiuis armis, ita vt cornua ſint illis tutelæ ac defenſioni: quod autem defendit ac tutatur robuſtum eſſe oportet ac præpotens, vnde cornu virtutis ac roboris eſt ſymbolum in hieroglyphicis antiquorum. Ne ergo quis improbet hanc interpretationẽ, perpendat quæſo hæc omnia naturalia myſteria in occulto hoc emblematis cortice latere.

Cornu quid indicet eſt virtutis ſymbolum.

Vis fixans ac coagulans eſt Hercules, & quare.

Vis primò ac Robur fixans & coagulans ſalis metallici, Hercules verè ac propriè dici poteſt: Hercules enim vt Græcum eius etymon ſonat, nihil aliud eſt quàm aëris gloria: Aër autem apud Chymicos pars Mercurij ſeu ſucci metallici, ac mineralis volatilis eſt ac infixa, quæ propter eius volatilitatem vt diximus aër dicitur: gloria verò decus,& honor huiuſce partis Mercurialis conſiſtit penitus in fixatione, & coagulatione ſuiipſius, Hermete Chymicorum omnium patre dictante: Vis eius integra eſt; ſi verſa fuerit in terram, hoc eſt, ſi coagulata fuerit & in rei fixæ naturam permutata.

Vis ergo fixans ac coagulans quæ ex penitiſſimis ſalis Mercurialis viſceribus exſurgit, Hercules verè & propriè dici poteſt, cùm coagulet ac fixet volatilem Mercurialis aquæ naturam, quæ fixio ac coagulatio tota & integra vis eſt, & energia Mercurialis aquæ, & perinde decus,honor,& gloria illius eſt.

Quod adhuc altiùs ac profundiùs probare, ac Chymicis alumnis inculcare poſſumus repetita Herculis progenie, quam cùm ſciamus eſſe ex Ioue ſummo & Alcmena Amphitryonis vxore, id ipſum oſtendit & indigitat perquirentibus vim hanc fixantem ſalis metallici Herculis nomine verè indicari poſſe, cùm hæc vis & facultas ex calore cœleſti & innato, qui Iupiter eſt, ac interpretatur, & ex terreſtri ſiccitate, quæ etiam Alcmena dicitur originem ducat.

Terreſtris ſiccitas cur Alcmena dicatur.

Terreſtris hæc ſiccitas vera Alcmena eſt Amphitryonis vxor,hoc eſt humiditatis metallicæ ligamen & nexus: humidū hoc metallicum adnexum & adiunctum cum Alcmena ſeu ſiccitate terreſtri parit ac generat coagulationem mineralium, quæ cùm leuiſſimi ſit momenti, & parui ponderis ob inconſtantiam ſuę perdurationis Iphiclus nobis eſſe poteſt, quem peperit Alcmena ex Amphitryone: calidum verò innatum, cœleſte,primigenium metallo-

rum quod nos Iouem dicimus, ſi cum Alcmena ſeu ſiccitate terreſtri, ſeu terra metallica coniungatur & copuletur inde producitur fixatio, ſeu metallorum perfectorum permanens ac perſiſtens natura, quæ examina cuncta & cementa perfert, patitur ac vincit, & ſic verus Hercules dici poteſt, quum fortitudine ac robore vincat omnia, quæ eius naturam deſtruere cupiunt, ac eius gloriam & laudem impedire tentant, ne ceruam noſtram aëripedem aurea habentem cornua in Menelao monte curſu comprehendere ac interficere queat.

Fixatio metallorum perfectorum cur Hercules dicatur.

Qua ratione Mercurij ſublimati compoſitio ex cerua aëripede comprehendatur.

Sunt qui hoc ſupradictum Ænigma, ad interpretationem particularem alicuius alterius arcani phyſici retorquere poſſunt, ſed hæc, & alia interpretatio ad eundem redit fontem, & ex eadem exſurgit ſcaturigine, ſicuti eſt hæc quæ nobis depingit, declarat, & oſtendit Mercurij ſublimati compoſitionem ex Mercurij crudi annexu, & permixtione nitri & vitrioli.

Mercurius enim crudus qui & Chymicis Aquila eorum dicitur, nobis ceruam aëripedem aurea habentem cornua repræſentare poteſt, & verè ſub eius nomine & eius proprietate ſic depicta, naturam & eſſentiam Mercurij patefactam habemus; aërea ſiquidem eſt eius eſſentia, fugit ignem leuiſſi-

móque eius impetu æthera petit, & in inuiſibilem auram conuertitur, adeò vt aëripedem iure merito nuncupare eum valeamus.

Mercurius crudus cur dicatur habere aurea cornua.

Aurea etiam habere cornua eundem teſtari poſſumus, quòd auream habeat naturam & eſſentiam, cùm naturali & magnetico quodam impetu ad aurum feratur, illúdque appetat mirabili amore & iungatur cum illo, incredibili ſuiipſius in aurum propenſione, ita vt aurum magnes Mercurij dici poſſit, cùm cæco quodam ductu ad ſe trahat Mercurium. Mercurius ergo cùm trahatur ab auro eamdem cum auro habere naturam & eſſentiam ex hoc mirabili amore colligimus, & id certum eſſe credendum eſt, & perinde fatendum nobis etiam erit aurea habere cornua.

Id idem nobis manifeſtū eſſe poteſt, ex repetitione illius ſublimationis ſuper aliquam terrā metallicam perfectorū, metallorū rite clacinatorū; tunc enim temporis capitellis chymicis ceruam hanc aëripedē aurea habentem cornua adhærere cernimus: verè enim & viſibiliter Mercurius ſublimatur, in cryſtallinam naturam cornua rutilantia præſe ferens, quæ figuram & ſpeciem ceruinorū cornuum obſeruant ac retinent. Vnde non immeritò Mercurium ſic præparatum ceruam aëripedem aurea habentem cornua dicere poſſumus:

Mercurius ſublimatus cur cerua aëripes dicatur.

Herculem verò hanc ceruam in Menelao monte curſu comprehendentem ac interficientem aſſerere poſſumus, eſſe vim fixantem ac coagulantem ſalis nitri ac vitrioli: hæc enim vis, robur ac fortitudo maxima eſt terreæ ſiccitatis, quæ dum vi ignis pellitur, in auras, vnà cum natura, & eſſentia Mercurij eam in ipſo volatu & curſu in Menelao monte, hoc eſt in capitello vitreno comprehendit, coagulat, retinétque & ſic eam interficere dicitur, cùm motu ſuo ipſum Mercurium priuet, qui motu ſuo viuere dicitur & eo argentum viuum nuncupatur. Dum ergo motu ſuo priuatur, vita etiam ſua, quæ tota in motu ſuo cõſiſtit, priuari neceſſe eſt.

Argentum viuum vnde dicatur viuū.

Hanc autem vim fixantem & coagulantem, Herculem dici poſſe antea probauimus, rationéſque attulimus varias, quæ hîc repetere non eſt opus: Sed tantùm aſſerere Philoſophis antiquis eſſe ſolitum varijs ænigmatum technis & Emblematum & Fabularum commentis philoſophiæ naturalis ſecreta & arcana occultare, ne omnibus fierent obuia, vt ex ſequentibus Capitulis fiet adhuc clarius.

Philoſophi antiqui ænigmate omnia occultabant ſecreta.

IN NE-

IN NEMEA SYLVA inuſitatæ magnitudinis Leonem iugulans Hercules, detractámque eius pellem pro inſigni geſtans, quid nobis demonſtret in Moralibus ac Chymicis operibus.

CAPVT V.

Vita humana quid.

VItam humanam Nemeam ſyluam dicere poſſumus, cũ vndiquaque in vita humana non ſecus ac inNemea ſylua exſurgant pericula & quidem exitialia. Quid enim viuere noſtrum eſt, quàm ſylua malorum, in qua ſi quid vitæ eſt, morti adhæret & calamitati? Vireſcunt quidem in ſylua arbores, creſcunt ac germinant,& varios, multiplicéſque de ſe promunt ſurculos;at etiam membratim tabeſcunt ac pereunt, & quæ grandiori ramo caput extollunt, ſecurim euitare nequeunt, vel fulminis impetum non effugiunt; aut ſi tam felici ſorte in vmbra degant, vt hæc omnia euitent, cariem & vermiculorum dentes effugere non poſſunt, quin tandem eôdem redeant vnde exierint, & ortum habuerint.

C

Digitized by Google

Vita hominũ ſylua eſt. Quis hominum eſt, qui ſimilia non patiatur dum viuit? vireſcit quidem accreſcit, germinat, ac in plures ſui ſimiles expanditur natos: at etiam nónne interim ſæpius membra eius colliquantur ac tabe conficiuntur: ſi quis feliciori ſydere natus reperiatur, qui inter alios caput extollat, & cæteris præemineat, is eſt qui ſæpe ſæpius fortunæ ſecurim patitur, & in decliui iacet.

Nemo ſenectutis ſerram effugere poteſt. Quòd ſi hæc omnia ſortis humanæ vincat pericula, & portum felicem ac beatum longiſſimæ vitæ pertingat, ſenectutis ſerram, ac eius curculiones euitare nequit, quin tacitè corrodatur, ac collabeſcentibus membris penitus deſinat, & corruat: nec eſt vlla humanæ mentis induſtria, cuius auxilio occultos hos corrodentis æui dentes euellere, vel ſaltem hebetare valeamus, nî Leonem hunc Nemeũ omnia deuaſtantem, ac deprædantem Herculea vi ac robore iugulemus, & detractam eius pellem pro inſigni geſtemus.

Qua ratione Nemeũ Leonem iugulemus. Leonem autem Nemeum iugulamus, dum peccatum omnium malorum deforme malũ occidimus, & peccantium tantùm effigiem & formam humana induti pelle, pro inſigni geſtamus, quod factitare non arduum nobis ſolùm eſt, ſed verum Herculeum opus quod ſoli Chriſto Redemptori noſtro, reſeruatur, tanquã vero Herculi, qui peccatum ve-

rè iugulauit in Nemea ſylua, & peccati pellem pro inſigni geſtauit, induta humana forma, ac ſpecie quæ Leonis Nemei pellis eſt, ſeu peccantis inſigne.

Nos etiam omnes Chriſti aſſeclæ, peccantium formam & ſeruorum effigiem retinere debemus; peccati verò naturam & eſſentiã omnino deſtruere, & in vita noſtra tanquam in Nemea ſylua iugulare debemus, hac in parte Chriſtum ſequi & imitari, vt æternæ vitæ gloriam mereri valeamus, & vt Nemeam hanc ſyluam hoc eſt vitam tranſigere tuti ac ſalui, à Leonis huius incurſu, dentibus & vnguibus eſſe queamus. *Chriſtum ſequi debemus.*

Mortem etiam poſſumus interpretari Leonem hunc Nemeum, quam mortem verè iugulare debemus, & de ipſa triumphare Nemea in ſylua, hoc eſt in huiuſce vitæ vmbroſo & opaco nemore, & detractam eius pellem, hoc eſt eius incommoda, languores & dolores, qui veræ mortis pelles dici poſſunt, patienter ferre debemus, vt hiſce tegumentis induti, veri Herculis noſtri indolem ſapiamus. *Nemeus Leo eſt mors.*

Si hunc Nemeum ſuperauerimus Leonem, & de eo, Herculis inſtar, triumphum ducamus, Herculis etiam honores & glorias in Nemea ſylua quotannis demerebimus, celebratis in honorem noſtrî Nemeis certaminibus: ita

Digitized by Google

vt hoc ænigma tacitè oſtendat, quid veris fortibus agendum ſit, vt hanc tranſeant mortalitatem, vt in meliorem tranſcribantur ſortem, relicta ſui fama, quæ nobis facinora illa inſignia virorum fortium, ob oculos ponit, & res ab his præclarè geſtas memorare cogit; ita vt nec in præſenti, nec futuris ſæculis vnquam deſinant, ſed perenniter vbicumque viuant, vt heroüm antiquorum facinoribus clarum ac manifeſtum habemus: floret enim eorum fama apud nos. Et ſi eorum præclara facinora vero numini approbata fuiſſent, & Deo vero collaudata, in verũ Deorum ſeu ſanctorum numerum relati fuiſſent Heroës illi, vt & infiniti qui verum Deum coluerunt Chriſtiani relati ſunt, ob res ab eis præclarè ac ſanctè geſtas, virtuti, Deóque ſoli relatas: hæc enim ſola facinora præclarè geſta cenſentur; reliqua verò oſtentationem potius & vitium ipſum ſapiunt, quàm virtutis oleant flores. Itaque qui Herculem antiquorum contemplabitur Nemeum Leonem iugulantem, & detractam eius pellem pro inſigni geſtantem, mirabitur vnà virum fortem ac prçclarum in hac miſeriarum valle tanquam in ſylua Nemea, calamitates omnes, miſerias, ac vitia cuncta vincentem ac ſuperantem, & vitam hanc tanquam calamitatum pellem &

Quæ virtutem ſapiunt ſola præclara geſta cenſentur.

miſeriarum vitiorúmque omnium cutem patienter ac fortiter, vt decet verum Herculem pro inſigni ferentem, ac geſtantem: laudabile enim eſt, & præclari viri inſigne præclarum, incommoda, & tædia vitæ humanæ fortiter ferre, ac tolerare.

Viri eſt fortiſſimi tædia vitæ patienter ferre.

Sic abundè me ſatis feciſſe puto, moralibus Philoſophis: Videamus iam quid arcani Chymici, & Philoſophiæ naturalis ſecreti contineat hæc fabella. Quid per Nemeam ſyluam & Leonem hunc Nemeum omnia deprædantem Chymici intelligant, eorúmque rationes & fundamenta explicemus: ne Miſochymici noſtrorum inuentorum oſores & contemptores fictum hoc omne, & otioſæ mentis opus exiſtiment: Sinè enim ratione & authoritate nolumus, harum fabellarum explicationes in lucem prodire, & in cenſu & peculio veritatis reponere.

Sciunt omnes qui tantùm ſummis labris deguſtarunt chymicæ artis dogmata, apud ipſam artem, hyle eſſe præcipuum artis ſubiectum: hyle autem ſylua eſt, & confuſio quædam rerum omnium in prima rerum materia, indigeſta mole contenta: hæc autem materia prima quæ verè ὑλη, apud Græcos, ſeu ſylua & confuſio apud Latinos dici poteſt, ſubiectum & obiectum chymicæ artis eſt; cùm enim rerum om-

Hyle quid.

Hyle chymicæ artis ſubiectum.

nium hæc ſola materia perſiſtens, ac permanens habeatur, & ars chymica rerum perſiſtentium & permanentium naturam ignis ope quærat, cùm in ea ſola rerum veram & exactam ſcientiam conſiſtere credamus, ideò hæc ſola rerum omniũ vltima materia obiectum eſt chymicæ artis, & hæc cum ὕλη dicatur ſeu ſylua, & confuſio, non immeritò Nemea ſylua antiquorum nobis indicabit primam chymicæ artis materiam. In Nemea ſiquidem ſylua, opaca erant omnia, obſcura, & caligine vmbroſa plena; ſic & in materia prima, opaca ſunt omnia, tenebroſa, tanquam in veram noctem congeſta; ita vt ſub eius caliginoſo tegmine, lateant omnia. Produxit Nemea ſylua, & enutriuit Leonem inuſitatæ ac incredibilis magnitudinis omnia deprædantem, quæ huicce Nemeæ regioni pretio erãt & vtilitati. Materia autem chymicorum prima, tanquam altera noua Nemea ſylua producit, & ſuo innato humido educat ſalem fixum & permanentem, quem Leonem viridem nuncupari verè ſciunt omnes, eúmque omnia pretioſa qualiſcumque ſunt pretij, & vtilitatis, in ea ipſa materia prima deuaſtare, corrumpere, & in ſui occultum redigere. Leo ſiquidem hic viridis adeò eſt inſignis virtutis ac inuſitatæ fortitudinis vt omnia vincat, & in ſui

Natura chymicorum eſt ſylua.

Digitized by Google

naturam conuertat, imò aurum, & argentum ipſum, omniáque metalla deuorat, & ſuo ventriculo concludit, ac perquàm optimè digerit; non ſecus ac Nemeus ille Græcus Leo, qui huius figuram & imaginem nobis typicè repræſentat. Hercules hunc vicit ac ſuperauit, eiúſque detractam pellem toto vitæ ſuæ tempore pro inſigni geſtauit.

Hic vertitur totius Alchymiæ cardo: latent ibi ſecreta quàmmaxima: in his fabularum vmbris, in Elixere Arabico, ſeu opere magno Philoſophorũ, materia prima metallorum Nemeam ſyluam nobis repræſentat. Aqua Mercurialis, ſeu humiditas illa primigenia metallorum Leonem Nemeum nobis exhibet: calor autem innatus fixans ac coagulans aquam Mercurialem Hercules nobis erit. Hæc autem omnia ita verè & phyſicè interpretari debere, & ratio dictat, & authoritas antiquorum Chymicorum approbat, vt iamiam in procinctu videre eſt ac legere.

Materiam primam metallorum, & pręcipuum artis ſpagyricæ obiectum, ſyluam dici, & à Philoſophis antiquis & modernis verè ita nuncupari liquet, ex Hermete Chymicorum patre qui libro ſuo de lapide occulto, nominat hanc materiam hylealem, & ſyluoſam: Omnes autem Philoſophi qui hanc

materiam ſuis ſcriptis ac literis patefacere voluerunt, per ſyluas vmbroſáque loca, obſcura & caligine plena deſcripſerunt: fons enim ille Chymicus ex quo ſcaturit aqua Mercurialis, clauis præcipua totius artis, numquam in aperto, & in vijs publicis reſilit, quamuis in omnibus locis reperiatur occultè, & natura, inuiſibili ſemper modo, vtatur in omnibus, nihilominus nuſquam in aperto eſt, ſed ſemper in occulto & latitanti loci alicuius receſſu, mirandas illas fundit aquas, quæ topiaria Chymica viridantia, & ſemper germinantia conſeruant ac tutantur.

Mercurius pholoſophorũ vbinam locorum ſcaturiat.

Si hæc aqua Mercurialis in ſyluoſo & vmbroſo non lateret loco, iamdiu triuialis, & vulgaris eſſet Alchymia, cùm ex ea ſola dependeat totius artis opus: quæ ſuperſunt peragenda, ludi veri ſunt puerorum & opera mulierũ. Proinde ſylua mera eſt Nemea hæc materia, quæ Leonem hunc Nemeum enutrit. Si quis hanc materiam notam habere cupiat, quærat neceſſe eſt in occulto rerum ſinu, vbi reperiet; in aperto ſiquidem, hoc eſt in ſuperficie rerum plana, & cortice numquam inueniet. Vmbroſa, ſyluoſa, & caliginoſa eſt hæc materia & inde in centro rerum quærendam eſſe arguendum eſt, cùm centrum rerum omnium occultum ſit, & obſcurum, quod idem eſt

Centrum rerum omnium occultum.

ac vmbroſum & ſyluoſum : vnde non immeritò clamant omnes Philoſophi, occultum fac manifeſtum, & habebis magiſterium; in occulto enim ſinu, & anfractu metallorum,& mineraliū latet humiditas quam quærimus,& poſtulamus vt chymicum opus perficiamus.

Humiditas autem hæc, quam Leonem viridem dicunt omnes propter inſignem eius caliditatem, & ſoluendi vim, ac proprietatem, quæ Leonum voraci edacitati reſpondet in metallis omnibus, & præcipuè in opere Chymico, quod mera ſylua eſt, omnia deuaſtat, deſtruit ac conſumit quæ ſuperficiem primam rerum, & huius operis exornabant : vnde hoc potiſſimum iure dicitur Leo, fortiſſimus enim animalium omnium Leo, & voraciſſimus omnium eſt, carnes ſiquidem & oſſa animalium omnium cruda & incocta digerit, coquit, & in ſui naturam conuertit: Humiditas ſiquidem metallica, hæc, ex omnium Chymicorum authoritate & experientia omnium humiditatum & aquarum fortiſſima eſt, & omnium voraciſſima cenſetur, cum tantam, & adeò præpotentem habeat vim diſſoluendi, & metalla cuncta, & aurum ipſum metallorum omnium fortiſſimum in aqueam penitus reducat ſubſtantiam, adeò vt verè dicere valeamus hanc aquam, metallorum car-

Aqua Mercurialis cur aqua leua-tur.

Digitized by Google

nes & oſſa cruda & incocta verè digerere, coquere, & in ſui naturam conuertere, non ſecus, ac verus Leo, quæ comedit in ſui naturam conuertit.

Sunt Philoſophorum quamplurimi, qui hanc aquam, ſeu metallorũ radicalem humorem Leonis nomine & natura depinxerunt, ita vt non ſolùm fabulæ huic Herculeæ, hoc condonare valeamus, ſed & multorum Chymicorum ſcriptis approbatum cenſeamus. Maneat ergo ratum ac firmum, aquam Mercurialem chymicam quæ ex prima metallorum materia miris modis elicitur, Leonem viridem ac Nemeum verè dici, & interpretari poſſe, qui ni Herculis noſtri robore ac fortitudine vincatur, detrimento potius eſt operi noſtro, quàm decori, ac ornamento; at ſi vincatur & debelletur, inſigni nobis erit gloriæ, & laudi eius mors, eiuſque detracta pellis, inſigne nobis erit tegumentũ, aduersùs rerum fortuitarum caſum & miſeriæ humanæ vilẽ ſortem.

Aqua Mercurialis vinci debet ſeu coagulari.

Vnde autem deſumemus Herculem hunc, Leonem hunc Nemeum omnia deprædantem, iugulantem, ac debellantem? Superius varijs in locis varias attulimus Herculis interpretationes, vt hiſtoriam fabuloſam Herculis, hiſtoriam veram Chymicam, & moralem faceremus. Iam verò, vt quintum hunc Herculis laborem ad Chymicas opera-

tiones referamus, dicemus Herculem ibi, vt & in quarto Capite huius operis diximus, interpretari poſſe, & debere, vim coagulantem & fixantem ſalis metallici, quæ coagulando, & fixando aquam Mercurialem, verè dicitur Leonem Nemeum iugulare, & tincturam eius rubicundiſſimam detrahendo, & ad ſuperficiem eius euocando verè tunc temporis dicere poſſumus Herculem noſtrum, ſeu vim ac facultatem fixandi ſalis noſtri fixi metallici detrahere pellem Leonis noſtri Nemei, ſeu humiditatis metallicæ, & Mercurialis, & toto vitæ ſuæ tempore, pro inſigni geſtare: nunquam enim colorem hunc rubicundum amittit, quo poſt mortem tingitur & coloratur pellis Leonis noſtri rubei; at eius eſt nobiliſſimum ac præclarum inſigne, quo decorari poſſunt Chymici omnes & gaudere, tanquam ab omnibus humanæ miſeriæ, & calamitatis ſtimulis tuti ac ſalui. Qui enim Chymicorum Leonem hunc Nemeum iugulant, eiúſque detrahere poſſunt pellem, veri Hercules habentur, & omnia mundi huius, & vitæ pericula ſuperant & euincunt: tincturam enim ſic Philoſophorum obtinent & arcanum,

Detrahere pellem Leonis Nemei quid ſit.

Digitized by Google

DIOMEDEM THRACIÆ Regem equos ſuos hoſpitum carnibus, & ſanguine depaſcentem, deuincens Hercules quid Moralibus & Chymicis Philoſophis indicet.

CAPVT VI.

Multi ſunt Diomedes, hoc eſt rudes & inculti viri.

TANTVS fuit & adeò rudis ac miſerandus humanæ vitæ cultus omnibus in ſæculis, vt non vnicum Diomedem Thraciæ regem, in perniciem humanæ vitæ, enatum fuiſſe exiſtimauerim, ſed & infinitos priſcis ſæculis & iamiam innumeròs enatos fuiſſe credam, qui hoſpitum ſuorum carnibus & ſanguine depaſcunt equos ſuos. Nec datur vnicus tantùm Hercules qui eorum crudelitatem ac feritatem compeſcat & cohibeat.

Eatenus hiſce ſæculis felicior fuit priſcorum ſæculorum antiquitas, cùm vnicum ſaltem habuerit Herculem huius inmanitatis vindicem.

Quis enim hominum eſt qui rudem & aſperam vitæ ſuæ rationem tot vir-

tutibus, ac probis moribus exornet, quot opus eſt ad vitam ſuam omni feroci,rudi, & aſpero huius ſæculi cultu expoliandam, adeò vt virtutes omnes & probi mores tutum apud ipſum habeant locum, & hoſpitio recipiantur liberali, dum rudem & aſperam vitæ ſuæ rationem excolendum veniunt ne vitijs ſuis tanquam equis depaſcendis tradantur: Nemo mehercule, nemo reperitur qui aduenientes virtutes, & probos mores liberali ac tuto apud ſe recipiat hoſpitio.

Omnes Diomedem Thraciæ regem mirantur, hoſpites ſuos equis noſtris ſeu vitijs deuorandos tradimus: Nec eſt rixandū & capite nutandum, quòd Equos vitia, & prauos animi noſtri mores interpreter; hoc enim Græcorum antiqui fecerunt, Homero monſtrante viam in Equi Troiani fabrica & ſtructura, quam fraudis & vitij fontem ſciunt omnes: quod enim fortes ac præpotentes viri, decem annorum ſpatio, aperto Marte deuincere non potuerunt, equus vnus, vna ſola nocte debellauit. Sic equus vnus fraude plenus, ac vitio turgens Troiam inuictam ſuperauit, non bos, non Elephas, non Leo, nec aliud quoduis animalium, ad hoc ſcelus perpetrandum adhibitum fuit, ſed ſolus equus tanquam humanæ fraudis capax, & crudelitatis hu-

Equi repræſentant vitia.

manæ conſcius & Marti dicitus, huic cladi faciendæ deſtinatus eſt

Equus eſt ſymbolũ fraudis. Hinc non immeritò fraudis & vitij ſymbolum equum eſſe aſſerimus, ex eo potiſſimum quòd Marti dicetur: nullam enim fidem pietatémque viris qui caſtra ſequuntur eſſe dicere ſolemus; neque item rebus omnibus quæ caſtris ſubſeruiunt, quibus potiſſimúmque adnumerantur equi: ſi autem fidem ac pietatem è natura tollamus, quod reliquum eſt, vitij partes occupare neceſſe eſt.

Mauors vnde dicitur. Magna item euertit Mauors, vnde nomen habet, nihil autem magnum verè credimus, niſi quod virtuoſum; quod autem magnum & virtuoſum euertit, vitij partes ac leges obſeruare neceſſe eſt. Cur ergo Equum vitij ſymbolum eſſe ambigemus? ſi Martis & humani petulantis animi obſequio conſecretur & cùm fræno egeat vt impetus naturæ ſuæ cohibere poſſit, abſque fræno ſiquidem in obuia quæcumque, etſi cõfragoſa, inuia, & abrupta præcipitia fertur, vitij penitus imitando naturam, quæ fræno, & compedibus firmis ac duris cohibeatur in omnia irrepit vitæ illicita.

Diomedes ergo Thraciæ rex nobis eritrudis, agreſtis, & incultus homo, vitijs quamplurimis ſcatens, ac turgens quę erunt illi equi, in ſtabulis degentes.

Diomedem agreſtem ac rudem eſſe hominem, teſtatur eius regnum ac Imperium, quod cùm Thracia ſit, frigida & inculta regio, infœcunda prorſus, nec cœlo nec ſolo tractabilis, feros habens homines, aſpero valdè cultu, vnde & Thracia dicta eſt, quaſi aſpera & rudis θρακὴ, enim apud Græcos aſperum ſonat. Hinc certè colligimus per Diomedem Thraciæ Regem, rudem & aſperum, ciuilibus virtutibus inornatum virum intelligi poſſe, cui ſi virtutes accedant, & vitæ ſuæ honeſtamenta, & magnum aliquod ſui decus, illico pereunt iſta, & vitæ ſuæ ruditate, ac feritate ſterileſcunt; & ita hoſpites hi, huc aduenientes equis eius traduntur deuorandi.

Virtutes ſiquidem omnes vitæ humanæ aduenæ ſunt & verè hoſpites aduentitiæ, ab humanis, verè humaniter recipiuntur; ab his verò qui agreſtem ac rudem omnino incolunt vitam ruditer & agreſtè admodum excipiuntur, imò vitijs traduntur deuorandæ; donec tandem adueniat Hercules vir fortis ac prudens, iuſtus ac potens, qui tantæ iniuriæ vindex, horum hominum agreſtem vitam & immanitatem ſupplicio publico vindicat, ipſóſque torquet, ac pœnas ſcelerum ſuorum poſcit, ita vt tradantur & ipſi equis ſuis, hoc eſt vitijs deuorandi. Aequum enim & *Virtutes aduenæ ſunt vitæ humanæ.*

iuſtum eſt, vt qui virtutem non coluit, & hoſpitem aduenientem humaniter non recepit, at truculenter repudiauit, & genio vitiorum ſuorum nimis indulſit, pœnam tanti ſceleris tandem recipiat: ſic ſcelera ſceleratum torquent ac vitiorum ſuorum pœnas, ac ſupplicia expoſcunt; vnde illud; Vnumquemque ſuum vexat ſcelus.

Sic Diomedem Thraciæ Regem hoſpitum carnibus & ſanguine depaſcentem equos ſuos, deuictum ac debellatum ab Hercule, & equis ipſius in pabulum traditum, ritè moraliter interpretatum habemus.

Iam verò quid ſecreti, & Arcani phyſici contineat hæc fabella, altius eſt inquirendum. Diomedem Thraciæ Regem, Mercurium Philoſophorum interpretamur; eſt ſiquidem Mercurius verus Diomedes, crudelis & immanis, terræ frigidæ incultæ, ac infœcundæ Dominus, agreſtis ac rudis valde; adeò vt hoſpites ſuos omnes qui illum inuiſunt ac eius contubernium quærunt & expoſtulant, corrodenti ſua virtute, ac diſſoluendi potentia, quæ equorum edacitati æquiparari poteſt, diſperdat ac necet.

Diomedes quid apud Chymicos.

Sciunt enim omnes Chymici metalla omnia, imò & reliqua cuncta naturalia, quæ Mercurio Philoſophorum aſſociantur, ab ipſo corrodi, & mortem

pati,

pati, ita vt ſpiritus Mercurij, qui ſunt illius equi paſcantur carne & ſanguine hoſpitum ſuorum: donec tandem adueniat Hercules, qui erit Chymicus aliquis inſignis, virtute & genio clarus, qui Mercurium hunc, ſeu Diomedem Thraciæ Regem deuictum ac ſuperatum equis ipſius tradet deuorandum, hoc eſt ſpiritibus Mercurij ex quibus fit aqua Mercurialis, committet ipſum Mercurium deuorandum, vt Regnum metallicum vindicetur à tali tyranno, quo mortuo exſurgit alius Rex metallicus & mineralis, qui benigniùs multò, ac liberaliùs ſuſcipit hoſpites, ſuos, vt pote regni facultatem & potentiam ſuis hoſpitibus communicando, & impertiendo, vt & capitula ſequentia ex laboribus herois noſtri commonſtrabunt. *Equi Diomedis chymicè quid ſunt.*

Vel licet interpretari Diomedem noſtrum, Mercurium Chymicum: hoſpites autem Diomedem viſitantes & inuiſentes, ſunt Chymici & Alchymiſtæ qui viſitant Mercurium, & tractant ipſum & interdum ſæpe ſæpius peſſimè tractantur ab ipſo, dum opus vanum tentant & in ſummam paupertatem deueniunt, tunc temporis poſſunt dici ab equis illius Diomedis ſeu Mercurij deuorari, & comedi: verè enim deuorantur ab equis Mercurij Alchymiſtæ dum in eius operaria officina, *Alchymiſta viſitāt Mercuriū & peſſimè habentur ab ipſo.*

paupertate & miſeria contabeſcunt & pereunt: Mercurius enim nî vincatur ac ſuperetur penitus, veluti Diomedes aliquis, hoſpites hos incultos, & imprudentes virtutibus ac proprietatibus occultis tanquam equis ſuis tradit deuorandos. At ſi chymicorum aliquis adeò fortis ac prudens reperiatur, vt ipſum Mercurium ſeu Diomedem Thraciæ Regem vincat, & equis ſuis, ſeu ipſiſmet virtutibus ac proprietatibus tradat deuorandum & comedendum, tunc verè nouus erit Hercules, & regno fruetur ingenti ac ditiſſimo. Hîc admonentur Chymicæ artis alumni, quid agere debeãt in opere Chymico tractãdo, ne à Mercurio quem inuiſere tentant palatiumque eius & domum Regiam ingredi cupiunt peſſimè habeantur, & ne miſerè & calamitosè pereant in domo eius, quod enim ipſis imprimis eſt peragendum morti tradere debent Mercurium & carne & ſanguine eius paſcere equos ſuos, hoc eſt ſpiritus ſuos, quos ſuperius proprietates & virtutes occultas diximus. Qui quidem ſpiritus communiter aues & corui dicuntur, quidni etiam & equi poſſent dici, cum & equi pernicitate & currendi velocitate, cæteras antecellant quadrupedes, & voraces ſint helluones & ingluuioſi, non ſecus ac corui, qui apud Chymicos omnes

Quid in operè chymico, primo ſit agendum.

ſpiritus Mercuriales indicant & commonſtrant voracitate peculiari qua pollent; non ſecus ac illi ſpiritus Mercuriales corrodendi potentia, ac facultate, aduerſus cuncta naturalia ſummopere vigent: Sunt enim ipſi ſoli quorum ope, & miniſterio cuncta cadunt ac pereunt,& in chaos abeūt. Hic etiam ni cadat & in chaos abeat, pluuiam impetrauimus ab Ioue ſummo qua irrigandi ſunt Alchymiæ campi, ne ſteriles fiant, & infecundi, veluti Ægyptus quæ cùm per nouem annos ſicca & arida penitus permanſiſſet, tandem accepto augurio à quodam Thraſea, pluuiam à ſuperis exorari, ac impetrari poſſe, ſi hoſpites immolaret, tunc Buſiris Ægypti tyrannus, cum & hoſpitem Thraſeam ſciret, tu primus inquit ô Thraſea Ægypto aquam dabis, & fies Iouis hoſtia primus, quod Ouidius 3.de Arte argutè canit his verſibus.

Vndenam aqua chymica deſumenda.

Dicitur Aegyptus caruiſſe rigantibus arua
Imbribus, atque annis ſicca fuiſſe nouem:
Quum Thraſeas Buſirin adit monſtrátq; piari
Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Iouem.
Illi Buſiris, fies Iouis hoſtia primus
Inquit, & Aegypto tu dabis hoſpes aquam.

Pari ratione valdè ſicca & arida eſt Alchymia, nî arua eius & campi irrorentur fient omnino ſteriles & infœcundi: Acceptum habemus oraculum ab ipſo

Mercurius dare debet aquam Alhymiæ neceſſariam.

Mercurio, ni hoſpites immolentur, non poſſe pluuiam à ſuperis impetrari: ipſemet Mercurius hoſpes eſt Alchymiæ & verè peregrinus, ergo in ipſum primum, Buſiris lege ac præcepto agendum erit, vt fiat hoſtia primus, & ſic Alchymiæ det hoſpes aquam, quam tanti eſſe ponderis ipſi Alchymiæ credimus, vt verè abſque ea, inutilem & infructuoſam ſterilem ac infœcundam cenſeamus Alchymiam.

Ita habemus Diomedem Thraciæ Regem hoſpitum carnibus & ſanguine equos depaſcentem ab Hercule victum, & ſuiſmet equis in eſcam & pabulum traditum.

Digitized by Google

IN ERYMANTHO ARCADIÆ monte terribilem aprum omnia deuaſtantem captans Hercules, eumq; viuum ad Euriſtheum adferens quid commonſtret, ac indicet.

CAPVT VII.

PAVCI ſunt hominum qui in Erymantho Arcadiæ monte terribilem aprum omnia deuaſtantem capiant, imò pauci ſunt qui ipſum venatu perſequantur. Erymanthus nobis eſt, venalium, ſordidorum, & illiberalium hominum mens & animus, qui cum circa hæc mundi huius vana & inutilia, aut ſaltem vilia ac ſordida occupetur mons Arcadiæ verè dici poteſt, cùm Arcadia aſinorum procerorum admodum ferax habeatur, & nihil ferè aliud magni & vtilis præter aſinos ipſos ferat: hinc etiam mens & animus vilium ac ſordidorum hominum, cum nihil præter quæſtum vilem & mercimonium adſerat, Erymanthus meritò nobis erit Arcadiæ inſignis ac ſublimis mons, in quo

terribilis aper cuncta deuaſtat, vel vt iniecta face fabuloſas diſcutiam vmbras, in quo ardens auaritia corrodenti ac ferino dente, omnia dilacerat: in his ſiquidem animis, quæſtui & vili lucro deditis, adueniens auaritia plus nocumenti ac detrimenti adfert, aduerſus virtutes, moraléſque gratias quæ animum humanum exornare debent, quàm intulerit aper ille Arcadicus in Erymantho monte.

Mercatores tunc temporis venaleſq; facti: quærimus non quale ſit quid, ſed quanti, niſi vndiquaque lucrum eluceſcat lucem odimus; ac diem illam quæ ſine lucro præterijt: honeſta, quandiu illis aliqua ſpes lucri ineſt ſequimur, in contrarium tranſituri ſi plus ſcelerata promittant: lucrum omnia vincit & lucro cedunt omnia. hoc ipſum tot magiſtratus, tot iudices detinet, eorum labor in pretio eſt, ad lucri ſtrepitum ſuffragia vertunt, duplici catillantis animi ſtimulo, lucro & honore, ad hæc mundi faſtigia ſublimari compelluntur, tanquam in Erymantho Arcadiæ monte, vbi aper in aſperis his & confragoſis locis, dentibus ſuis omnia dilacerat, frangit ne dicam vorat ac perdit, & nullus adhuc Hercules terribiles huius apri dentes cohibet ac compeſcit quin Erymanthum illũ Arcadiæ montem ſterilem ac infructuoſum efficiat.

Auaritiam aprum diximus iure merito, quod in ſyluoſis ac aſperis locis degat aper,non ſecus ac auaritia, montanis ac ſemiferis adhæreat hominibus, eóſque ſequatur, eorúmque domos colat, & inhabitet: & vt aprum ad conuiuia natum eſſe exiſtimamus, ſic & auarum ad delicias, & voluptates non ſui ipſius, ſed aliorum natum eſſe videmus. Quicquid auri vel argenti cōgerit & accumulat,non ſibi accumulat, miſerè ſiquidem admodum viuit, cum torqueatur amore pecuniæ, qua nunquam potitur, ſed ſæuior ignibus Aetnæ, feruens amor ardet habendi, quo miſer ipſe Tantalus heredibus ſuis parat epulas amplas, & oppipara conuiuia quibus potiri ſibi ipſi interdicit, vt verus aper ad conuiuia natum animal cenſeri poſſit.

Sed quouſque tandem Aper iſte Erymantheus, terram noſtram ſterilem reddet, & infructuoſam? nonne fortis aliquis reperietur Hercules,qui Diuûm ſanguine ſatus, hunc terribilem aprum cuncta deuaſtantem captare queat, & viuum ad Euryſtheum adferre poſſit? hoc expectandum eſt ex viro bono ac forti, qui prauas has animi indoles, & ferinas mentis humanæ dotes captat, & domitat,ac ad rectæ & ſinceræ rationis arcem conducit, tanquam ad Euryſthei palatium, ſeu optimi iudicij &

intellectus domum,vt ibi feritatem deponant, & humanam omnino ac ciuilem induant gratiam & leporem : ſic Erymanthum Arcadiæ montem ab apro terribili & feroci omnia deuaſtanti liberamus.

At poſſunt Philoſophi Spagyrici Erymantheum eorum montem ab apro terribili & feroci vindicare, cúmque viuum capere, & ad Euryſtheum Regem viuum deferre, modò corrodentem ſalis mineralis facultatem ac energiam in capitellis ſuis vitreis aſcendentem, ibíque omnia corrodentem ac deuaſtantem edulcorent ac mitigent: hoc eſt captare aprum, & modo captum ad tincturam eorum perducant, & ſummam illam ac ſupremam malorum omnium conficiant medelam, hoc eſt viuum illum aprum ad Euryſtheum deferre. Quid enim ſonat Euryſtheus, niſi rectum & optimum? rectè ergo, & iure quammaximo philoſophi Spagyrici, aprum Erymantheum,qui eorum Mercurius eſt, captant eúmq; viuum ad Euryſtheum deferunt, modò ipſum coagulent,fixent, & ad ſupremam eorum medicinam conducant, quæ illis verus eſt Euryſtheus, ipſos ſuſcitans ac ſtimulans ad tantos ac índefeſſos labores ſuſcipiendos, adeò vt laborando, nunquam defatigentur, ſic enim verum Herculem

imitâtur, ac iratæ Iunonis inuidia, hoc eſt naturæ erga nos nouercæ auaritia immortalem ſibi gloriam conſequuntur,& ad cœlum ſublimes feruntur.

In intimo ac penitiſſimo huius fabellæ ſinu,latitat arcanum Chymicum excellens ac mirum: quod enim Philoſophi omnes, omni ænigmate, ac velamine occultant, hæc fabella ſuo cortice pandit, ac indicat,vbinam ſcilicet locorum quærendus ac captandus eſt Philoſophorum Mercurius,qui hîc aper Erymantheus nuncupatur: ex flore enim Veneris & Mercurio vulgari ritè præparato, elicitur vapor ille vnctuoſus, qui aper Erymantheus dici poteſt. Erymantheus nihil aliud ſonat, quàm florẽ Veneris: Erycina ſiquidem cognomentum Veneris eſt,& Anthos flos eſt, vnde non immeritò aper Chymicorum in Erymantho quærendus eſt,venãdus, ac captandus, qui tandem Adonidem Veneris amaſium dente ſuo neci dabit, hoc eſt Solem qui verus eſt Veneris amaſius, vt ſciunt omnes chymicæ artis alumni, & ferè omnes aurifabri, ac metallarij qui cupro ſeu Veneri, ſolem admixtum ſiue aurum experiũtur, tanto amore proſequitur cuprum ſiue Venus aurum, vt nulla vnquã reperiatur Venus abſque ſcintillis & particulis auri veri, adeò vt Solem, verum Veneris amaſium &

Adonidem dicere valeamus; Aper autem qui in Erymantho Arcadiæ monte graſſatur, hunc Veneris amaſium dente ſub inguine percuſſum occidere debet, quem deinde Venus ipſa in florem Anemones herbæ ſanguineo colore rubentem permutare habet, quod fit dum tincturam Philoſophorum, & rubicundum tyrium colorem habemus Mercurio phyſico & ſole, qui aprum & Adonidem interpretantur.

At poſſumus etiam hanc explicare fabellam, aſſerendo Herculem eſſe vim fixantem caloris innati metallici, qui Aprum venatur, ac conſequitur, hoc eſt humidum metallicum, & Philoſophorum Mercurium, qui verus aper eſt, propter corrodentem ac ſoluentem virtutem in Erymantho Arcadiæ mōte, omnia deuaſtans, ac deglutiens, hoc eſt in magnis & vtilibus chymicæ artis operibus. Poteſt enim Alchymia propter magnitudinem rerum, & vtilitatem operum, quæ in ea operantur, Arcadia dici, & nuncupari: Arcadia ſiquidem in prouerbijs antiquorum magnitudinem & vtilitatem rerum portendit: Arcadiam poſtulare dicebant antiqui, pro, magnum quid & vtile poſtulare.

In Erymantho ergo Arcadiæ monte, hoc eſt in magno Alchymiæ opere vis fixans ac coagulans caloris innati me-

tallici, qui verus Hercules dicitur vt antea probauimus multis rationibus, & authoritatibus, Aprum captat ſeu Mercurium coquit, fixat, ac coagulat, & ad ſupremam Medicinam conducit, & ſic viuum aprum ad Euryſtheũ conducit, quo conſpecto Euryſtheus æreo vaſe ſe abſcondit, quod chymicis indicat, tunc temporis eo in opere materiam adhuc percoquendam eſſe, nec à vaſe adhuc abducendam, ac eximendam, etſi coagulatam ac fixatam videamus, ſed adhuc vaſe occludendam, donec tincturam tyriam ac purpuream habeamus.

STYMPHALIDES AVES ſagittis interficiens Hercules, vel abenei crepitaculi ſonitu vſque ad inſulam Aretiada fugans, quid in chymicis ac moralibus operibus commonſtret.

CAPVT VIII.

Inuidi ſtymphalides aues imitantur.

QVOT & quantæ adhuc ſuperſint Stymphalides aues, totam vniuerſam Arcadiam deuaſtantes ſciunt omnes, & experiuntur, qui circa rerum magnitudi-

nem & excellentiam, imò circa virtutem ſibi comparãdam occupantur: inſurgunt ſtatim in ipſos infiniti ferè. Inuidi, qui ſuis vnguibus, ac liuidis linguis, eos acerbiſſimè petunt, & ab ipſa rerum magnitudine & virtute detrudere tentant. Quod enim magnũ vtile ac excellens conſpiciunt, in idipſum maledicam linguam ſoluunt ac veluti vncis timendæ vnguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes, impetunt ipſam Arcadiam, ſiue Dei arcam, vt vorent & auferant quicquid ſacri & occulti eſt, vel ſaltem liuore ſuo, & inuidia velut vmbra alarum obumbrent & obtegant ne in apertum & lucem prodeat.

Stymphalides enim aues has, tantæ ferunt fuiſſe magnitudinis, vt Solis radios obumbrare dicerentur: ſic inuidorum ac zoilorum liuor tantus eſt, vt virtutis ſolem ipſum obſcurare poſſint. Lacum Stymphalum incoluere rapaces hæ volucres, vt magis notum habeamus & apertum eorum ſymbolum: quicquid enim lacus incolit & habitat, propter putrentes & ſtagnantes aquas, ex quibus originem & ortum trahit, & viuit, inuidiæ & liuoris præbet inſigne. Inuidia ſiquidem vitiorum caput, verè lacus eſt Stymphalus, quem incolunt rapaces homines, qui lucro ſoli toti addicti ſunt, & quibus aliorum bona

Inuidia eſt lacus Stymphalus.

damno ſunt: hi verò volucres Stymphalides habentur & reputantur, tanquam Arcadiam deuaſtantes, hoc eſt rei alicuius magnitudinem & excellentiam: Arcadia etenim magna eſt, & excellens, tum bonis omnibus quibus abundat, tum paſcuis quibus pingueſcunt animalia quamplurima quę Arcadiam incolunt, vnde ex copia ac fertilitate alimentorum & vitæ, quibus turget, Arcadia dicta eſt, quaſi Dei Arca, nihil enim Deus occludit, & arcis imponit ſuis, niſi quod magnum & excellens eſt ac pretij ſummi habetur.

Arcadia vnde dicta.

Vnde etiam animam rationalem veram Arcadiam dicere poſſumus: & corpus humanum, lacum Stymphalum, quem tanquam vitiorum omnium mare patens incolunt volucres Stymphalides, ſeu vitia humana, quæ adeò prægrandia ſunt, vt vmbra alarum ſuarum ſolem ipſum humanæ vitæ, hoc eſt rationem ipſam, & intellectus diuini radios obumbrent, & quicquid eſt boni in ipſa anima deuaſtent ac vitient, ni Hercules qui eſt vir fortis ac prudens, diuina ſtirpe ſatus, ſagittis ſuis interficiat vel ahenei crepitaculi ſonitu, perſequatur ac fuget, ad inſulam vſque Aretiada: quod fit dum orationibus ad Deum fuſis quæ tanquam ſagittæ ſunt, vel ſonitus ahenei crepitaculi, qui-

Anima rationalis vera eſt Arcadia.

bus vitia omnia ex corporibus noſtris, tanquam volucres Stymphalides ex lacu Stymphalo expellimus & fugamus, ad inſulam vſque Aretiada, hoc eſt ad metam rectæ rationis vbi penitus areſcunt & ſterileſcunt.

Aretiada inſula quid ſit.

Corpus etenim noſtrum verus eſt lacus Stymphalus, in eo ſiquidem delitiarum omnium aquæ ſtagnantur quæ alimentum & incrementum dant vitijs omnibus, quæ tanquam volucres Stymphalides Arcadiam vniuerſam ſeu animam noſtram vitiant ac deturpant, & adeò depopulantur, vt eam ſterilem ac infertilem efficiant.

Sic moraliter fugat Hercules Stymphalides aues ex Arcadia noſtra, & ſagittis interficit, donec venuſtate prima & antiqua vigeat tota regio, & floreat vndiquaque vernantibus floſculis candore nimio micantibus, & ſic vera Dei Arca habeatur.

Quid ſibi velint autem Philoſophi Spagyrici per Stymphalides aues lacum Stymphalum incolentes, totámque Arcadiam deuaſtantes, ſatis apertè indicant multis in locis, dum ſpiritus Mercuriales hinc vndiq; volitantes in opere Philoſophico, & totam terram ſuam conſpurcantes ac denigrantes, eadem præſtare, ac aues Stymphalides omnes Philoſophi arguunt. Pars ſi-

Stymphalides aues quid chymicè ſint.

quidem fixa terrea in opere Philoſophico Arcadia eſt, quæ magna & prægrandia enutrit ac continet. Aqua quæ ſupernatat terræ, aut terram hanc circundat, lacus eſt Stymphalus, ex quo aues Stymphalides exſurgunt & euolant in auras, hoc eſt ſpiritus Mercuriales, qui exſurgunt ex aqua Mercuriali, qui opacitate alarum ſuarum Solem, hoc eſt tincturam obumbrāt dum in opere Phyſico illo, ſol Philoſophorum putreſit & obſcuratur, actione ſpirituum aquæ Mercurialis, donec Hercules qui eſt vis fixans, ac coagulans auri Phyſici, ſagittis ſuis, hoc eſt actione ſua, mira & acuminata interfecerit ſpiritus illos Mercuriales, ſeu coagulauerit, ac fixauerit, quod eſt ſagittis interficere aues Stymphalides, vel ahenei crepitaculi ſonitu ipſas fugare aues, ad inſulam vſque Aretiada. Per aheneum crepitaculum intelligimus vapores exhalantes metallicos qui ex metallo Phyſico exhalant & feriunt ſpiritus Mercuriales, & fugant ipſos, donec tandem areſcant omnes, & fiant terra fixa, & arida, quod eſt ad inſulam vſque Aretiada fugare: lacus ſiquidem Stymphalus, qui eſt aqua Mercurialis noſtra pedetentim areſcit, ac ſicceſcit, & ſpiritus Mercuriales pedetentim etiam fixantur, ac coagulantur, & ſic abeunt ad inſulam Aretiada.

Lacus Stymphalis quid chymice.

Aheneum crepitaculum quid.

Alia auium Stymphalidum interpretatio.

Alij poſſunt hanc fabellam ad
na particularia chymica declaran
torquere: Poſſunt etenim Stymp
des aues Arcadiam deuaſtantes, i
pretari ſpiritus antimoniales & A
cales, qui terram Antimonij fi
grandem admodum & magnifi
efficacia ac præſtantia virtutis eiu
turpant ac deuaſtant, adeò vt ea
giant omnes, nemóque velit ean
lere, & habitare, propter pericu
haſce aues, quæ eam infertilẽ redo
Hercules autem ſagittis interficie
las aues poteſt interpretari, Sal
qui tanquam ex Ioue, hoc eſt c
& Alcmena, hoc eſt terra enatu
ſua, ac fortitudine ſpiritus illos
moniales & arſenicales interficit,
henei crepitaculi ſonitu ad inſulã
Aretiada fugat; dum illos ſpirit
xat, ac coagulat, ac in terram al
mam conuertit, quæ bezoartica e
magnæ virtutis, poſtquam vind
eſt à fœdis illis Stymphalidibus au
ſeu ſpiritibus Mercurialibus cru
infixis. Poſſem ego & tincturam
timonij per hanc fabellam expl
Ratum enim & ſtabilitum eſt
medicos ſpagyricos ſpiritus Mer
les, Arſenicales & Antimoniales
pter volatilitatem & aëream natu
qua pollent aues dici, & volucre
quia potiſſimum nocent, ac mo
inf

Tinctura antimonij per aues Stymphalides indicata.

inferunt vitæque animalium ſunt maximo detrimento, ideóque coruis, harpijs, & Stymphalidibus auibus præcipuè æquiparari, & ſub earum auium ſymbolis indicari: quia hæ aues rapaces ſunt, voraces, & cadaueribus inhiant, eáque perſequuntur, vt vitam ſuam ſuſtentare queant carne & ſanguine animalium mortuorum. Sic in tinctura Antimonij videtur fieri: ſpiritus ſiquidem Mercuriales qui ſunt præcipua cauſa mortis Antimonij, Antimonij carnem & ſanguinem mirificè appetunt. adeò vt totum ſanguinem exhauriant & carnem relictis oſſibus ſolis, terra inutili ac infertili. Spiritus autem hi quandiu perſiſtunt, tandiu carnem & ſanguinem deturpant ac vitiant donec ab igne auferantur, qui verus eſt Hercules, ſagittis ſuis has interficiens aues Stymphalides totam Arcadiam deuaſtantes: actione enim ignis tanquam ſagittis interficiuntur hi ſpiritus Mercuriales venenoſum ſiquidem omne, ab igne corrigitur, & interficitur, ac in alexiterium conuertitur, & ſic purgatur Arcadia tota, ab Hercule noſtro ab auibus defedantibus ac deuaſtantibus illam.

Venenum omne igne corrigitur.

Sic & chymicè & Ethicè interpretatum habemus, quid indicet, ac commonſtret Hercules aues Stymphalides ſagittis interficiens, vel ahenei crepi-

taculi ſonitu, ad inſulam vſque Arcтiada perfugans.

TAVRVM FVRENTEM, inſulam Cretam totam fere deuaſtantem domans Hercules, eúmque victum ad Euriſtheum adducens, quid nobis & Ethicè & Chymicè cōmonſtret.

CAPVT IX.

Superbia nil peius in humana natura. Nihil ſuperbia magis monſtrificum reperiri poteſt in natura humana: hæc verè Taurus eſt furens, qui naturam humanam, *Creta inſula quid ſit.* tanquam Cretam inſulam deuaſtat, natura ſiquidem humana vera Creta inſula eſt, in qua nihil noxij reperire licebat, omnia erant ad voluptatem parata & ad delitias quaſcumque. Vndiq; ſcaturiebat vitę æternæ balſamum & vinum integræ ac ſynceræ voluptatis; donec Taurus furens ſupervenerit qui hæc bona omnia ſubuerterit; ſcitur etenim primùm parentem noſtrum ob gratiam & iuſtitiam originalem in qua creatum fuiſſe credimus, bonis omnibus tum animi, tum corporis affluxiſſe, vt ex ſuperbia & peccato tan-

Digitized by Google

quam à Tauro furente, hæc omnia bona effuſa ſunt ac ſubuerſa, vt in hierarchia ſupercœleſti cernere eſt; vbi ſupremus Angelus tanquam Taurus verè furens, totam ac vniuerſam virtutum ſupercœleſtium Cretam deuaſtauit, qui veluti Creta ſupercœleſtis inſula nobis habenda eſt, cùm bonis omnibus afflueret, & ſolis veri gratiſſimo aſpectur vndequaque conſpecta haberetu, rerúmque omnium creatarum decus, delitium, ac ornamentum eſſet: at à Tauro illo furente conſpurcatus hic Cretus, Cretæ inſulæ verã effigiem nobis exhibet. Michael autem Archangelus Herculis ideam, qui Taurũ hunc furentem deuicit, ac vinctũ & victum ad Euryſtheũ Regem, Deum, putà, conduxit inferis detrudendum carceribus, ne tanti amplius foret nocumenti: ſic piè interpretantur hæc Græca cõmenta, quæ nihil veri commenti habent, niſi cortice tenus: hac ſecluſa medullam prædulcem, ac vitæ ſuccum, tum præſentis, tum futuræ decerpere poſſunt, qui in naturę ſecretis ſupercœleſtia arcana deguſtare ſolent.

Vt colligere licet ex hoc Tauro furente ab Hercule deuicto, qui nobis arcana & ſecreta naturalia multa fabellæ huius velo occludit, & obſcurat: Taurus ſiquidem furens, à Neptuno aquarum Deo in Cretam inſulam im- *Taurus Creticus quid ſit Chymicè.*

miſſus eſt,vt eam deuaſtet ac perdat: A ſecretioribus Philoſophiæ Coryphæis Principibus nihil aliud eſt, quàm ſpiritus Mercurij, ſeu aqua Mercurialis, quam Taurum dixerunt Alchimiæ patres, vt videre eſt apud Turbam Philoſophorum,ſeu veritatis Codicem pag. 180. alijſque multis in locis, Neque immeritò dicitur Taurus aqua Mercurialis;hæc enim vt Taurus terram Philoſophorum inutilem, infertilem ac aridam ſcindit in glebas, arat & colit,vt tandem ſuo ſolo labore, vtilem Philoſophis reddat, ſemini ſuſcipiendo, & idoneam conſtituat, vt tandem pariat ac fructus efferat.

Creta inſula quid Chymicè.

Hæc etiam aqua Mercurialis non ſecus ac Taurus Creticus leui irritamēto in rabiem excitatur,adeò vt Cretam inſulam deuaſtet, quæ eſt terra Philoſophorum, quæ niſi prædulci ac temperato regatur regimine, Taurus ille qui eam incolit, eam ipſam deuaſtat, ac perdit, vt clamant Philoſophi omnes, qui de hac Apollinis inſula ſcripſerunt: ideò cauendum ſummoperè nobis eſt, ne in furorem excitetur: donec nouus ſuperueniat Hercules,qui ſupernaturalibus, ac ſubcœleſtibus pollens virtutibus Taurum hunc deuinciat, & ſuo robore penitus vincat.

Præſtò autem aderit Hercules,ſi quæ ſuperius ſcripſimus notata ſint: Hercu-

lem enim diximus vim metallorum ac virtutem fixantem,& coagulantem ſpiritus volatiles ac infixos,qui quidem ſpiritus in re chymica facienda tanti ſunt momenti, vt tota ars in eis conſiſtat, & ſi hi penitus innoteſcerent verè triuialis & vulgaris eſſet Alchimia.

Spiritus metallici qui.

De his multa multi ſcripſerunt,ſed ſub ænigmate,& varijs fabularum technis: ignes enim veri ſunt, qui puriſſimis terræ partibus vniuntur,& ſecundùm varios puritatis gradus varia producunt metalla : dum aëri & igni metallico aſſociantur , ſulphur conſtituunt metallicum:dum verò aquæ metallicæ vniuntur, Mercurium aliud metallorum principium componunt: dum verò terræ metallicæ copulantur, tertium nobis oſtendunt metallorum principium, ſalem putà: Adeò vt in omnibus & ſingulis metallorum principijs, imò & in omnibus rebus ignis reperiatur; qui quidem ignis nî ſuo vitali nectare,naturam omnem, & ſingulam foueret, actum eſſet, & verè conclamatum de tota natura, & ſingulis naturæ rebus.

Quid ſulphur quid Mercurium, quid ſal producat

Non ergo immeritò ad nauſeam vſque clamant omnes Philoſophi, ſulphur noſtrum, Mercurius noſter, & ego addam ſal noſtrum, vbique reperiuntur, & nemo ſinè his viuere po-

Ignis natura eſt lapis Philoſophorum, vnde vbique reperitur.

teſt, cùm verè ſint ignis naturæ, cuius fotu perpetuo indiget omne compoſitum, & tota natura: centrum enim cuiuſcumque rei, ignis eſt, qui formam rei & naturam nutrit ac alit, eo deficiente & extincto, deficit & extinguitur robur & virtus formæ, ſeu naturæ, imò & ipſa forma & natura perit. Ex hoc igne rebus omnibus inſito, & potiſſimum ex igne metallico qui in viſceribus eorum reſidet, paratur ſulphur, paratur Mercurius, paratur ſal, principia tria metallorum, quæ ſolo & vnico Mercurialis aquæ ambitu coërcentur.

Qua ratione deuinciatur Taurus Creticus ſeu Mercurius.

Hæc verè Taurus eſt Creticus qui inſulam Cretam, in quam à Neptuno aquarum patre immittitur, deuaſtat, ni à prudenti rerum magiſtro & naturæ miniſtro, tanquam ab altero Hercule proſternatur. Proſternitur autem ſi molli ignis temperamento foueatur; tunc enim temporis, vt in confeſſo eſt apud omnes Philoſophos, mutatur in terram & verè deuincitur: ſic fixatur & verè coagulatur, ac in veram fixam, ac permanentem Philoſophorum tincturam conuertitur. Et ità ad Euryſtheum Regem deuinctum & funibus perligatum deducunt Taurum Creticum, ſeu aquam Mercurialem Philoſophi, quam verè ad palatium Regium deductam dicere poſſumus, modò ad auream na-

turam, & auri florem & fructum perducamus: Sunt enim hæc Regia Chymicorum palatia, ibi quies ſumma eſt, & ſupremum humanæ miſeriæ ſolatium.

Qui hunc Taurum Creticum noſtrũ ſuperarunt & funibus proprijs perligarunt, ſciunt quanta poſtmodum detur animis eorum quies, & gaudium, & an Regijs delitijs æquiparari poſſint, ne dicam eas ipſas ſuperare delitias: tunc enim temporis nihil fortunæ timetur, ſatis eſt ſanitatis, ſatis eſt diuitiarum, cùm maiores expeti non poſſint. Itaque perpendant quæſo chymicæ artis alumni, vtilitatem & pondus huiuſce artis, & cùm maximi ſit ponderis, laboris etiam ac ſudoris eſſe neceſſe eſt, ad ſumma felicitatis faſtigia nunquam perreptatur, niſi ſumma cum difficultate: bonum omne poſuere Dij ſudore ac labore parandum. Multi ſunt & fere omnes huiuſce ſæculi Philoſophi, & Medici qui artem chymicam amplectерentur, modò facilis eſſet, & leuiſſimi laboris, facileſque & præcoces adferret fructus, At pace eorum dixerim, ſi veri Philoſophi ac Medici haberentur, ſcirent vtique magna tardè ſemper prouenire, & præcoces fructus omnes, putredini eſſe obnoxios; longos autem, & tardos ſcimus eſſe Alchymiæ fructus, ſed proculdubio dulces & ma-

Laus Alchymiæ.

Omne difficile pulchrum eſt.

turos; at cum ſol ſpectatores niſi cum deficit, non habeat, nemóque obſeruet lunam niſi laborantem. Sic Alchymiam nemo ſpectat, niſi laborantem ac deficientem, in his ſolis in quibus deficere oportet, in his ſiquidem ſi niteret, ſuáque profunderet bona, plus adferret nocumenti, quam vtilitatis. Sunt enim pecora campi, & iumenta quibus nullus eſt intellectus, & quibus ſolis cardui ſufficiunt.

Alchymia debet eſſe obſcura.

Nónne Alchymiæ dedecori eſſet & vituperio ſi margaritas ſuas ante porcos obijceret, qui deſidiæ tantùm incubant, & luto gaudent: viris ſolùm fortibus ac ſapientibus Herculeo genere natis poma ſua aurea reſeruat, vt videbitur inferius, poſtquam labores alios ſummos & prægrandes, ab ipſomet Hercule exantlatos explicauerimus, qui non inferioris ſunt momenti, ad declarandos Alchymiæ theſauros Tauro hoc noſtro Cretico, ſuperato, & deuicto & ad Euryſtheum Regem conducto.

ACHELOVM FLVVIORVM omnium celeberrimum deuincens Hercules, quid Chymicopijs Philoſophis cõmonſtret.

CAPVT X.

HERCVLES verus eſt Diuino ſanguine ſatus, qui Acheloum fluuium vincere ac ſuperare poteſt: tantus enim eſt hic fluuius, & tantæ virtutis ac energiæ vt formas omnes, rerúmque figuras ſuſcipere queat, deuicta vna, ſupereſt alia expugnanda, ac debellanda, ex vno labore quamuis exantlato, emergunt & expullulant labores, & certamina permulta: nulla datur certaminis huius periodus ac finis.

Quis eſt ergo inter homines tanti roboris, ac fortitudinis, vt hæc ſuſtinere queat, nemo certe mehercule nemo, & vt vera hæc omnibus appareant & in aperto luceant: Acheloum fluuium dicimus ex ſententia hieroglygraphorum omnium, ſcientiam rerum om- *Quid Acheloꝰ indicet.*

nium, quam qui capere poteſt, verè diuina ſtirpe natum, verúmque Herculem prædicandum cenſemus.

Acheloi fluminis ortus.

Encyclopædiam ſiquidem artium omnium, & ſcientiarum perfectam cognitionem iuſto nomine Acheloum dicere poſſumus, cum & Achelous fluuiorum omnium maximus, à Pindo monte oriens Aetoliam ab Acarnania diuidens, & in Meleacum ſinum defluens, tam vario curſu ac diſcincto alueo fundat aquas ſuas, vt verè formas rerum omnium & figuras, ex quarum cognitione & notitia emergit Encyclopædia, demonſtrare poſſit. Quod ſi quis vir fortis, prudens & acutus, ac ſtudioſus formam quandam, & figuram ſeu internam & externam alicujus mixti proprietatem & energiam penitus, ac medullitus cognitam habeat: Quid hoc eſt quæſo inter tot ac tantas formarum rerum omnium myriades, quæ mundum hunc vniuerſum conſtituunt quas omnes & ſingulas notas habere oportet, vt Acheloum noſtrum ſuperare valeamus ſeu Encyclopædiam complecti queamus? cuius vmbram tantùm, ſcientiæ, quæ præ animis hominum nunc temporis verſantur, nobis exhibent, & vnius ſolius notitiam vix habere valeamus, vt teſtatur diuinus Hippocrates de ſola Medicina, quam artem longiſſimam

Encyclopædia quare valde difficilis.

eſſe prædicat, vitam verò noſtram breuiſſimam vt eius curriculo, eam aſſequi queamus, tum propter iudicium, quod ſummoperè difficile eſt, in dignoſcendis rebus omnibus quę ad medicam artem pertinent, tum propter experimenta que tentari debent, etſi periculoſa ſunt, quorum ratione dicuntur medici, experimenta per mortes agere, etſi qui prudentia valent & ſcientia, nunquam illa valde periculoſa experimenta tentanda ſuſcipiunt abſque lethali prognoſtico & infauſto omine, prius declarato: vnde prudenter conſulunt medicinæ patres, deſperatos ſolis prognoſticis eſſe relinquendos, etſi Celſus clamet in deſperatæ ſalutis affectibus remedium anceps potius eſſe adhibendū, quàm nullum.

Quòd ſi vita breuis ſit ad vnicam artem addiſcendam, & difficultates & anguſtiæ ex parte humanæ mentis quamultæ ſæpiſſimè oriantur, quæ non poteſt eleuari, ad artis alicuius intima indaganda, & percipienda. Quàm multò ergo breuior erit vita, ad omnes artes & ſcientias indagandas, & quàm multò difficiliores erunt anguſtiæ, ad artium omnium & ſcientiarum labyrinthos extricandos?

Hercules tamen potuit & fecit, & quamuis vita breui donatus fuerit, nihilominus ſat longa fuit ad Ache- *Encyclopædia poteſt adipiſci & qua via.*

loum noſtrum deuincendum ac debellandum, in cuius ſola victoria, totius Encyclopædiæ curſum integrum verè collocamus, vt nos multis in locis operum noſtrorum teſtati ſumus, & teſtantur adhuc omnes Alchymiæ patres.

Qualis autem ſit iſte Achelous, quem Encyclopædiam ſuperius indicare diximus, iam verò & Chymicæ Encyclopædiæ curſum continere aſſerimus, nunc nobis eſt demonſtrandum: hic iam totius Alchymiæ theſaurus & fons occultus aperiendus eſt, in gratiam filiorum artis: nihilominns his qui artem hanc non callent, nec callere ſtudent, at potius irriſioni illius & ſannæ toto animo incumbunt, occultandus potius eſt, quàm minimo lumine indicandus.

Author odit oſores Alchymiæ.

Quod enim ad me pertinet, ſi tandem aliquando præſagirem Alchymiæ oſores poſſe ex ſcriptis meis aliquid arcani, & veritatis deſumere, dubio procul calamus meus, ne tantillum quidem atramenti ſuſcepiſſet vnquam, ad hæc arcana depingenda, vt huiuſce farinæ hominibus prodeſſe poſſint: ſunt enim flagro potius quam doctrina digni: telum & fulmen ſpagyrica opuſcula, quæ iampridem in ipſos iaculatus ſum, beneuolentiam, qua illos perſequor, ſatis admodum teſtantur. Hiſce de cauſis ſtylo ſpagyrico ex

more & conſuetudiſte authorum huiuſce artis, perſequar hæc arcana adaperire, quæ tanta ſunt, vt verè Encyclopædiam complectantur; Mercurium ſiquidem Philoſophorum detegunt ac manifeſtant, in cuius notione, ſcientia verè vniuerſalis conſiſtit: hic verè Achelous eſt, fluuiorum omnium maximus ac celeberrimus: maximus quidem eſt omnium, cùm vniuerſam irriget terram, imò vniuerſum orbem.

In cognitione Mercurij Philoſophorum encyclopædia conſiſtit.

Quicquid eſt in regno animali, vegetabili, & minerali, ad conſeruationem ſuiipſius, accretionem, multiplicationem & motum, huiuſce fluminis eget irrigatione: tanta eſt huius fluminis virtus & energia, vt ſi per momentum temporis, & quidem minimum, natura vniuerſalis rerum omnium fruſtraretur tanti fluminis potu, & irrigatione illico deficeret, & corrueret tota machina mundi, cùm res omnes egeant perpetuo fotu humidi radicalis ſui, ad nutritionem & fotum calidi innati.

Quis ergo Philoſophorum erit, qui hæc neget cùm ſole clarius ſit, & apud omnes ratum, & ſancitum, humidum radicale, cuiuſcumque rei, conſeruationem eſſe veram & abſolutam rei illius cuius eſt humidum radicale innatum & primigenium? eo corruente corruit & ipſamet res, eóque vigente,

Humidum radicale eſt cuiuſcumque rei ſcientia & notitia.

& florente, viget & floret, quicquid eſt in rerum natura natum. Non ergo immeritò in notione illius Encyclopædiam collocamus, cùm humidum radicale cuiuſcumque rei, ſit virtus & energia ipſiuſmet, & rei virtute nota, & energia rerum omnium, quid quæſo eſt, extra cancellos & limites Encyclopædiæ noſtræ?

Achelous qua ratione vincatur.

Non prodeſt tamen quicquam admodum iſtius rei notio, hominibus, niſi victoria Acheloi iſtius fluminis potiantur; Tota ſiquidem vtilitas & emolumentum, quod ex notione tali exſurgit maximum, in pugna & victoria Acheloi iſtius conſiſtit: quo autem Marte, & qua belli armorúmque aſtutia pugnandum ſit, cum Acheloo noſtro ſeu Mercurio, vt eum debellare valeamus, id docuerunt ferè omnes Medici ac Philoſophi chymici, ſolo nempe igne debellari, ſolíſque igneis armis cum illo eſſe pugnandum: vnde illud: Accipe ouum & igneo percute gladio, & accipe aquam & igniuomis conſtringite furnis, hæc eſt pugna, hæc eſt victoria Acheloi noſtri: aquæ enim quibus turget igneæ ſunt, nec vllo alio poſſunt præter igneo cohiberi repagulo.

Cogita ergo & fortiter meditare quale debeat eſſe iſtud repagulum, & qualia ſunt hæc arma ignea, quibus

igneas Acheloi noſtri aquas debellare ſolemus. Datur ignis naturæ, terreæ ſubſtantiæ incluſus, qui conuinctus, & mirabili artis ope, cum aqua Mercurij connexus, totum detegit arcanum, & omne pandit ænigma.

Ignis natura eſt claua qua deuincitur Acheloũ.

Hercules verus, eſt hic ignis ſummi Iouis & Alcmenæ filius, qui ſua ſola claua, & robore Acheloum vincit, ac ſuperat: ſuperat autem conſtringendo & coagulando: conſtringit & coagulat terreſtri facultate, qua pollet in intimo cordis ſui, quod vitæ flammas & ignes continet. Si ſcias ignem tali igni adminiſtrare, verè ignis ille naturæ, connectetur aquæ vitæ, & fient vnum incorruptibile, in centro terræ puræ, quæ nihil aliud erit, quam ignis, aër, aqua, & terra, in vnum conglobata orbem incorruptibilem.

Speculum in quo tota natura conſpicitur, eſt aqua Mercurialis.

Sic Acheloum vinces, ſic verum imitaberis Herculem & Encyclopædiam comprehendes. Latet enim ſpeculum in aquis Acheloi noſtri, imò aquæ ipſæ, ſunt ſpeculum ipſum in quo licet vniuerſam naturam & omnem ſapientiam rerum naturalium contemplari: ibi facultates animalium, ibi vegetantium proprietates & metallorum ac mineralium omnium occultas virtutes, ac formas conſpicere licet, hinc cœlorum omniũ motus, planetarum ac ſtellarum omnium influxus,

vel in hæc inferiora irradiationes, & tandem harmoniam vniuerſæ naturæ licet conſpicuam & apertam habere, ſciunt & credunt qui fœlici armorum ſucceſſu Acheloi victoria exornati fuerunt, & ſpeculum hoc contemplati ſunt.

BVSIRIDEM ÆGYPTI REGEM hoſpites ſuos ſacrificantem, occidens Hercules, quid Piochymicis Philoſophis cõmonſtret ac præſagiat.

CAPVT XI.

In centro cuiuſcumque rei eſt mors illius rei.

QVI medullas Chymicæ artis deguſtarunt, dum mortem retum omnium contemplantur, aſſerunt in omnibus naturæ rebus, eſſe incorruptibile mortis ſeminium quod vnà cum ſeminio vitæ inſeparabiliter permiſcetur, quódque quæ vitæ ſunt, tanquam peregrina, & aduentitia occidit, vorat ac perdit.

Illud ipſum vitæ hoſtem prædicant omnes, & Buſiridi Ægyptiorum crudeli tyranno compararunt, & ſub eius emblemate, moralia, ſeu Ethica perpulchra, & phyſica quamplurima arcana occultarunt. Vitium ſiquidem, quod

Vitium eſt

quod nobis à natura ipſa implantatum eſt, & nobis inſitum, quod eſt verum mortis ſeminium, virtutes omnes quæ nobis aduenæ ſunt, & peregrinæ, ſuffocat ac perdit; ita vt nî prudentia & ſapientia ſumma vtamur, quæ nobis eſt tanquam Hercules, ex ſummo Ioue & Alcmena natus, conclamatum eſt, de vita noſtra, & de virtutibus omnibus, quæ ſunt vitæ noſtræ ornamentum ac decus. At ſi vigeamus prudentia humana, vt vir fortis quiſque vigere debet, vitiũ ipſummet de medio ſuſtulimus, & miniſtros eius omnes occidimus, non ſecus ac Hercules Buſiridem illi inſidias parantem ac illum ſacrificare volentem interfecit, vnà cum filio Anphidamante & miniſtris tam diri ſacrificij. *mortis ſeminium.*

Hæc pugna hæc victoria ſingulis vitæ noſtræ momentis pendet ex arbitrio noſtro, ſingulis vitæ momentis inſidiatur vitium virtuti, virtus pariter vitij conamina retundit: ſic pugnat Hercules, & ſic triumphat, & regno potitur Ægypti, ſic dulcedine vitæ humanæ fruitur virtus: Alioquin non eſt hæc vita humana, non Ægyptus mihi aquarum profluuio fœcundata, ſed brutorum barbara militia ac Thracia ferox, ſyluoſa, & infœcunda, Crocodilorum ineuitabili aſtutia vndiquaque ſtipata, ad cuius periculum euitandum ſumma *Vitium inſidiatur virtuti.*

nobis eſt opus prudentia, qua ſola mundi huius ineuitabiles ſyrtes, euitamus, aut ſaltem vndoſas facimus abſque periculo.

Vitium eſt eradicandium à vitæ campis.

Quod ſi ad vitæ humanæ decus & ornamentum, vitium imprimis ſit eradicandum, quòd ſit lolium enecans frumenti granum. Sic pari ratione, vt in rebus phyſicis vitæ germen pullulet & floreat ac vitæ fructus pariat, mortis ſeminiũ eſt eradicandum: quale verò, & quid ſit mortis ſeminiũ in rebus phyſicis, ac naturalibus, quod vitæ germẽ obtundit imò enecat, facile eſt chymicis inquirendũ: Terrena enim recrementa, quæ nihil ſalis habent, nihil ignis naturæ ſapiunt nec ſulphuris chymici redolent naturam, ea omnia mortis ſeminia prædicamus, ea omnia eradicanda fore percipimus vt floreat vitæ germen.

Generationes qua ratione fiant.

Id natura quotidie molitur omni hora & omni temporis momento in generationibus ſingulis, rerúmque productionibus: putreſiunt omnia, & in putrefactione ſeparatur purum ab impuro: ex puro exſurgit vitæ germen & vitæ fructus, & ſic fiunt generationes; calidum enim quod eſt in ſale naturæ, agit in frigidum mediante humido, & humidum agit in ſiccum mediante calido: & ſic agunt inter ſe elementa naturæ, quæ in centro ſalis eiuſdem radices habent, in quo ſolo centro fiunt no-

ſæ rerum productiones, præuia corruptione & impuri morte, quod eſt puræ vitæ inimicum. Illud enim putrefieri debet & mori, vt vitæ inde exſurgat fructus, ſecundum illud primi Philoſophorum omnium: niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit & corruptum, ipſum ſolum manet, non germinans, nec fructificans: certum eſt ergo cuncta putrefieri debere & mori, antequam de ſe vitæ fructus pariant.

Hoc nobis indicat peculiari in hoc capite Buſiridis fabella, quæ nos docet Ægyptum vitæ amœnitate, & iucunditate nunquam vſuram, niſi poſt mortem Buſiridis ſui crudeliſſimi tyranni, qui hoſpites omnes etſi Ægypto, & ſibi ipſi perutiles, morti tradebat. Sic pari ratione, nulla erit rebus quies, nec natura quieſcet vnquam, quæ eſt altera Ægyptus, cui Buſiris alius dominatur, qui eſt mortis ſeminium, quod toti naturæ imperat cuius ope, & miniſterio morti omnia traduntur, quæ illi noua, & aduentitia quotidie adueniunt, etſi vtiliſſima ſint illi & fructuoſa, donec tandem adueniat Hercules, qui erit vniuerſalis ignis, quo Buſiris ille naturæ iam imperans, morti tradetur. Per combuſtionem illam vniuerſalem, mortis ſeminium quod rebus omnibus ineſt comburetur & in abyſſum detru-

Buſiridis fabella explicatio.

detur, ita vt tota hinc natura nouam ſuſcipiat formam pulchriorem quidem, & nulli poſtmodùm morti obnoxiam: tunc erit ſumma quies rebus omnibus & toti naturæ.

Ab hac vniuerſali rerum omnium morte, & reſurrectione, colligunt Spagyrici Philoſophi, rerum particularium mortes, & reſurrectiones; ita vt poſtquam innatum illud mortis ſeminium ſepararunt & vicerunt, nouum conſtituant mixtum, priori longè potentius, & præcipuè in metallis, quorum humidum igneum, viſcoſum, & vnctuoſum, vitæ germen in ſe continens, nunquam ſuas promit actiones & energias, niſi poſtquam mortuum fuerit; hoc eſt ſeparatum fuerit & vindicatum à fece terreſtri & amurca, qua inuoluitur. Separatur autem ab his omnibus, quæ actiones illas nobiles obtundunt imò prorſus enecant, ignis ope, & adminiculo, qui comburit mortis illud ſeminium, ſeu ſubſtantiæ vitalis excrementum, eóque combuſto & corrupto vitæ flores hinc expullulant.

Ignis natura ex quo fonte educatur & qualis ſit.

Aduerte tamen ne nomine ignis ibi decipiaris; nam ignis hic communis & elementaris non intelligitur: eſt alius mihi ignis qui aquæ formam habet, qui metalla diſſoluit, & intrinſecum ignem metallorum multiplicat, & cuſtodit ab omni corruptione, &

morte, corrumpit tantùm, ac deſtruit fecem & limum metallorũ impurum, & attenuat, ac in ſubtiliſſimam ac penetrantem ſubſtantiam conuertit, humidum illud igneum, craſſum, & feculentum metallorum omnium, & ad ſubſtantiam incorruptibilem conducit.

Hic ignis non aliunde ſumitur, quàm ab ipſomet metallorum fonte; ſunt ſiquidem metalla nonnulla cruda, & incocta, quæ omnimodam & vltimam non paſſa ſunt fixationem, ita vt in centro habeant adhuc multum humidi radicalis, volatilis & infixi, quod ab alio radicali humido eiuſdem naturæ, & eſſentiæ, facilè elicitur.

Arcanum totius Alchymiæ ibi latet.

Hoc poſtquam arte Chymica, diſtillationúmque modis varijs purum putum factum fuerit, animam auri extrahit, & argenti depurat & ſublimat, & in corpus purum, & incorruptibile, perducit, & ſic vltimum Alchymiæ finem & ſcopum attingit.

Hic ignis verus noſter eſt Hercules, à Ioue & Alcmena enatus; metallum enim cui nomen Iupiter, & terra ex Mercurio parata, quæ nobis Alcmena eſt, conſtituunt ignem illum de quo tanta dixerunt Philoſophi, vt mihi maiora dicere & clariora nefas ſit.

Sufficiat ergo Philochymicis omnibus ignem hunc, verum eſſe Herculem qui duram metallorum compa-

gem, in tenuem pollinem, numquam reducibilem diſſoluit, & in ſalem conuertit, omniúmque eorum terras depurat & ſteriles, & infœcundas ſemine fœcundo imprægnat, & ſic parturire facit vitæ fructus, qui in eorum craſſo & lutoſo limo infœcundi iacebant. Sic Buſiridem hoſpites ſuos mactantem occidit Hercules, & Ægyptum metallorum ab ipſius tyrannide vindicat: nam quod in terra metallica impurum eſt, & fetidum & corrupti ſulphuris ſapit naturam, quicquid illi aduenit in ſui naturam conuertit, & ſic multiplicatur impurum metalli, donec tandem ignis internus ſuſcitatus ab alio igne eiuſdem naturæ vincat illud impurum, & occidat, terrámqne depuret, quod eſt Buſiridem hoſpites ſuos mactantem chymicè occidere, & tyrannidem effugere.

Metalla qua ratione viuificanda.

ANTEVM GIGANTEM IN Lybia, lucta victum ſuffocans Hercules, quid commonſtret Piochymicis Philoſophis,

CAPVT XII.

TERRAM ſuperare ac vincere maxima cunctarum eſt victoria; nihil enim terra fortius, cùm ſtabilis permanens ac fixa per ſe exiſtat: vnde cubo figurarum omnium ſtabiliori compararunt terram antiqui, & cor ac centrum mundi dixerunt, quod virtus ac robur omnium elementorum in terra quieſcat, non ſecus ac in corde & centro rerum omnium virtus conſiſtit: Nihilominus etſi terra fortiſſima ſit, vincenda tamen eſt, ac debellanda, vt theſauros infinitos poſſideamus, qui ex eius victoria in nos ipſos redundant, ſecundum illud Boëtij: Superata tellus ſidera donat; cœlum ipſum ſcandere non poſſumus, nec ſupercœleſtibus frui bo-

Se ipſum vincere, fortiſſimorum eſt victoria.

Abſque victoria noſtri cœlum aſcendere non poſſumus.

nis, niſi victa tellure, & proſtrata eius virtute.

Hoc nobis indicare voluerunt antiqui pugnâ Herculis & Antei: fuit olim Anteùs Gigas Lybicus terræ filiùs, mole corporis prægrandis, & robore fortiſſimus, à nullo vnquam prærterquàm ab Hercule ſuperatus, vtpote cui deficientibus viribus ſolo matris ſuæ, putà terræ tactu, nouæ ac recentes exſurgebant vires, ideò lucta inexpugnabilis fuit, & indomabilis, Hercules tamen ipſum lucta vicit, & ſublimem in aëra ſuffocauit.

Quod Hercules olim fecit in Anteo, iam viri fortes ac prudentes, qui Herculis ſymbolum exhibent, dum affectus & cupiditates domant ac vincunt, Anteum dicuntur vincere, ac ſuperare: cupiditates ſiquidem & affectus corporei, Antei proſapiam ſapiunt, & verè ſymbolum eius repræſentant, cùm ex corpore originem ducant, quod terra eſt ab omnibus, vnde & affectus corporis filij terræ verè dicuntur, & Gigantes Lybiæ & monſtra Lybica, quæ nobis ſemper aliquid adferunt mali.

Anteus quid repræſentet.

In hæc corporis monſtra verè poteſt retorqueri prouerbium ἀεὶ φέρει τι λιβύη κακὸν, Ex his enim corporis monſtris quicquid mali patitur ratio, ex hoc fonte, tanquam ex vera Lybia ſcaturiginem ducit.

Pugnent igitur viri fortes, cum Anteo, ipſúmque vincant ſi brabio fœlicitatis, & corona gloriæ exornari cupiant: in terra ſiquidem collocati ſunt, vt cum terra pugnent, & ipſam vincant, & ex tali victoria cœlum petant, hàc enim ſolum itur ad aſtra.

Quod & Chymiæ arcanis medullitùs indicatur: Videtur enim Deus in his phyſicis & ſecretis naturæ operibus, diuina & ſupercœleſtia ſymbola collocaſſe. Vt enim menti noſtræ diuina ſtirpe ſatæ, mandatum eſt, vt corpori cui immergitur ſemper obſiſtat, domet ipſum, ac ſuperet, donec tandem ad ſuprema, fœlicitatis faſtigia conduxerit ipſum,& eleuauerit ad ſupremum ſublimitatis gradum: Pari modo Chymiæ ſtudioſis mandatum eſt, ſi artis perfectionis culmen pertingere cupiant, vt ſpiritibus Chymicis, hoc eſt ſubſtantijs volatilibus metallorum, & corporibus eorum ſeu terris, bellum & pugnam indicant, in qua pugna ſpiritus corpora ſua, vincere debent, ac ita domare,vt ipſa enecent, ne ad cœlum, hoc eſt ad ſupremum puritatis & perfectionis gradum impediatur aditus.

Terra metallica ſuperanda eſt, ſpiritibus chymicis.

Sic ſpiritus illi metallici, qui Herculis ſymbolum habent Anteum vincunt ac ſuperant, & in aëra eleuatum ſuffocatum retinent, hoc eſt terram ſuam & corpus ſuum ſecum ſublimant & ab

omni fece & limo terreſtri vindicant. Sic ipſum occidunt, hoc eſt mutant in puram, nitidam, fixam, ac permanentem tincturam.

Quid in chymia difficilius eſt.

Hæc victoria, hæc pugna in rebus chymicis maxima cunctarum eſt victoria, atque pugna; nihil enim difficilius eſt, ac magis arduum, quàm Anteum chymicum vincere: in apparatu ſiquidem ipſius pugnæ & victoriæ, neceſſe eſt, vt cœlum terræ miſceatur, terrámque cœlum fieri oportet, & vt ambages, verborúmque tricas mittamus: neceſſe eſt, vt terram metallicam, hoc eſt ſalem metallicum occidamus: occiditur autem ſi ſpiritui ſuo conuertetur, qui cùm igneam & æthercam habeat naturam, ſummam habet in hanc terram potentiam, ipſámque penetrat & alterat, atque per aëream ſuam ſubſtantiam, ad aëris naturam conuertit: ſic ſublimat Anteum, hoc eſt terram metallicam, puram, nitidam, aëream, ac igneam reddit, quod agere, hoc opus hic labor eſt: nihil ſiquidem clamant Chymiæ patres, confert arti noſtræ, quin aëris ſapiat naturam in aëre vita eſt, & perinde in vitam, omnia conuertenda ſunt, antequam prodeſſe poſſint. Addam & ego terram eſſe ſublimandam & attenuandam; quia apud Alchymiam, tinctura tantùm permanens ac fixa quæritur, & ſpectatur;

Terreum verò craſſum & groſſum nullo pacto tingit, nec vllum ingreſſum habet, nec perinde alterare aut mutare poteſt. Aereum ſolum eſt, quod tingit, penetrat ac alterat, ac inde neceſſe eſt in Chymia facienda, in aërem terram metallicam eſſe conuertendam. Vnde non ineptè definiunt lapidem ſuum, & tincturam chymici Philoſophi: quoddam compoſitum ex igne & aëre auri vel argenti, vel corpus tingens, originem habens ex duobus elementis, ſcilicet igne & aëre.

Terreum non tingit · ſed ignem & aëreum.

Clăgor Buccinæ pag. 482.

Qui ergo ſciet terram noſtram in aquam conuertere, & hanc aquam in aërem, & aërem hunc in ignem, & ignem in terram; conuertet & tinget omne corpus, & Hermetis magiſterium perfectè poſſidebit. Ne putet tamen chymiæ alumnus hæc elementa quæ illi ſunt adinuicem conuertenda, elementa ſimplicia & communia, quibus natura communiter vtitur, ad res omnes producendas, eductus primo ex eorum elementorum centro, tribus primis principijs, ſcilicet ſale, ſulphure, & Mercurio, ex quibus natura producit, ac generat omnia in vnoquoque & ſingulo naturæ regno: Sed eſſe elementa elementata, hoc eſt ſubſtantias metallicas compoſitas ex quatuor elementis, & tribus rerum principijs, quæ cùm habeant qualitates elementorum

Quid ſint elemeta chymica.

communium ſuæ ſubſtantiæ prædominantes, nomine elementi cuius qualitas cæteris præcellit, inſigniuntur: Sic ſubſtantia metallica illa, cui terræ partes ſupremum tenent gradum terra vocatur;& ſic de cæteris metallicis ſubſtantijs ſolent effari Philoſophi Spagyrici: quæ ſubſtantiæ quamuis nomine plurali efferantur, vnica tamen ſunt ſubſtantia,& ab vno ſolo & vnico naturæ fonte prodeunt & exſurgunt.

Quod acutè notandum eſt chymiæ tyrunculis, ne oleum & operam perdant in conuertendis communibus elementis, vt multi præclari viri, ac Philoſophi fecerunt, & præſertim Romæ, vt mihi delatum eſt, ac enunciatum per litteras, quas frequentes ad me miſerunt Philoſophi Romani nonnulli, qui ex tali, ac ſimili errore educti ſunt, multis à me rationibus in gratiam eorum conſcriptis,& ad ipſos Romam miſſis, ne in poſterum Palladium meũ tam præpoſterè interpretarentur.

Deponant ergo omnes Alchymiæ candidati, ex animo hanc ſententiam: Elementa chymica quæ nobis ſunt inuicem conuertenda, eſſe communia ac ſimplicia elementa, quia verè ea non ſunt, ſed ſubſtantiæ compoſitæ ac mixtæ, quæ artis noſtræ induſtria & auxilio ex vnico metallo ad hoc peculiariter à natura creato educuntur, ope &

Tota ars Alchymia ibi eſt.

induſtria Mercurij Philoſophici, qui ex centro & corde, illius vnius metalli educitur, & diſtillatus & purus putúſque ex hoc fonte eductus elicit animam auri & argenti ex eadem ipſamet ſubſtantia, ex qua ipſemet eductus eſt. Ipſa autem anima eſt ſulphur tingens ac viuificans ſemen, quod germinat & fructus dat perdulces & perennes, de quibus qui guſtauerint tardum ſciunt occaſum, & vitæ radices altas agunt, & Anteum verè vincere poſſunt ac Herculis gloria & brabio coronari. In his ſiquidem naturæ arcanis, Antei & Herculis hiſtoriam graphicè depictam habent, qui Alchymiæ medullam & ſuccum deguſtarunt.

CALPEN ET ABYLAM montes antea coniunctos diuidens Hercules, quid Piochymicis Philoſophis indicet.

CAPVT XIII.

Mare Mediterraneum vnde originem habuerit.

CALPE & Abyla perpetuo iugo connexi montes, terras mari priuarunt: eorum verò diuiſio medijs terrarum ſinubus, tot aquarum gurgites immiſſi ſunt, vt iam in hodiernum diem mare Mediterraneum conſtituant.

Calpe & Abyla quid indicent.

Corpus & anima tanquam Calpe & Abyla perpetuo iugo connexi montes, dum fuerint nexu primo inter ſe ligata, quo Deus ipſe cõnexuerat, calamitates miſerias, & anguſtias, quæ maris æſtus exhibent neſcierunt. Poſtquàm autem Diuinum illum nexum perdiderint qui iuſtitia originalis, & gratiæ diuinæ modò compactus erat, ab eo ipſo tempore immiſſum eſt terris, hoc eſt humanis rebus ingens mare & procelloſum :

Digitized by Google

Quicquid patimur anguſtiæ & calamitatis ex prima Calpes & Abylæ ſeparatione ortum habet.

Primus parens noſter, Hercules verè primus fuit, qui hos montes Diuino nexu & gratia coniunctos diuiſit, & ſua diuiſione, mala cuncta terris immiſit, nunquam ceſſatura, donec iterum diuino nexu coniungantur.

Vt enim in ſupremo & vltimo Dei Iudicio, Calpe & Abyla montes inter ſe oppoſiti, vnum fient, & in terræ globum conuertentur vnicum, non mari procelloſo, ſed elemento aquæ tranquillæ inundatum; Sic anima humana & corpus, quæ iam varijs cupiditatum affectibus, tanquam procelloſis aquarum vndis, vndiquaque agitatur, vnum quid fient, non mundi huius amplius tempeſtatibus agitatum, ſed elemento diuinæ gratiæ & gloriæ circundatum & exornatum.

Anima & corpus humanũ quando fient vnũ.

Poſtquam hoc arcanum pium & ſacrum ex hac dura fabulæ cortice enucleauimus, licet etiam arcana phyſica, ex eadem cortice depromere. Decet enim maximè Philoſophos, & præſertim chymicos ſacra & pia rimari, in ipſis naturæ operibus, vt primi fecerunt Philoſophi, qui Theologiam naturalem, ex ipſa natura deprompſerunt, & Chriſti dictis hac in parte aliquatenus ſatisfecerunt. Si nolitis credere mihi,

credite operibus quæ ego facio: non ſum ego vituperandus ſi diuina & ſacra naturalibus admiſceam: Sunt enim naturalia gradus ſapientiæ diuinæ, per quos aſcendimus ad vmbram quandam cognitionis diuinæ virtutis, vt patet in Calpes & Abylæ ſeparatione, quæ nobis arcana permulta recludit: Ea quidem quæ ex corporis & animæ ſeparatione colliguntur, in omnibus animalium vegetantium ac mineralium ſpeciebus ac indiuiduis: in quibus omnibus quicquid eſt occulti, ſecreti, & rari per ſeparationem animæ à corpore, mediante ſpiritu manifeſtatur.

Naturalia ſunt gradus ſapientiæ diuinæ.

Calpe & Abyla, corpus & animam repræſentant: Hercules verò ipſos diuidens montes, ſpiritus eſt mundi, qui corruptionem & putrefactionem cauſatur in omnibus naturæ regnis, mortémque inducit. Sic mare immittitur omnibus naturæ rebus, hoc eſt mors inducitur omnibus naturæ mixtis: Mare ſiquidem mortem ac perniciem repræſentat, propter humiditatem & aquam caliditate mixtam, qua turget in quibus mors rerum & corruptio conſiſtit, cùm fiat corruptio actione caloris in humidum. Mare autem ſale abundat, & aqua, imò nihil aliud eſt, quàm Sal & aqua. Sal verò nihil aliud eſt quàm ignis terreæ & aqueæ ſubſtantiæ incluſus, actione cuius in humidum fiunt

Mare quid indicet.

Sal quid ſit.

fiunt corruptiones, & rerum ſeparationes, hîc etiam ſpiritus eſt, & Hercules noſter qui Calpen & Abylam montes perpetuo iugo coniunctos, ſeparat ac diuidit, & ex illa diuiſione immittitur terræ chymicæ, mare chymicum, cuius aquas colligere habent chymici Philoſophi, vt ex his Salem extrahant, ex quo eliciendus eſt ſpiritus ille, ſpirituum fortiſſimus, qui Herculis naturam, ac robur habet, vt Calpen & Abylam montes chymicos ſuos, qui ſunt eorum ſulphura, diuidere valeant: niſi enim diuidant ac ſeparent non dabitur mare Mediterraneum, quod tantæ eſt neceſſitatis in chymia facienda, Philoſophis omnibus chymicis, quantæ fuit Iaſoni Oceanus ad portum Colchicum attingendum, vt hinc vellus aureum aſportaret in patriam.

Ex ſale chymico extrahendus eſt Mercurius Philoſophorum.

Non poſſunt chymici Philoſophi vllo ingeniorum modo Colchorum regna inuiſere, verſus quæ tendunt omnes, abſque mari illo Mediterraneo, quo Oceanum ingredimur & mare Colchicum nauigamus: Diuidendi ſunt ergo montes hi Calpe & Abyla, qui ſunt corpus & anima metallica, vt ex horum diuiſione, habeamus mare noſtrum, quo ſolo nobis eſt opus, ad rem omnem chymicā comparandam. Diuidimus autem hos montes, qui in vno corpore coniuncti ſunt, ope & auxilio

Herculis noſtri, qui eſt ſpiritus metallicus, ſeu Mercurius Philoſophorum, & aqua Mercurialis, quæ habet potentiam corpora metallica diſſoluendi & præcipuè corpora Solis & Lunæ noſtræ, in quibus conſiſtit corpus illud & anima, quæ Calpæ & Abylæ comparari poſſunt: quibus ſeparatis, & ſecundùm leges, ac normas Pyrotechniæ artis ritè præparatis, columnas verè marmoreas Herculis noſtri imponere poſſumus, & his inſcribere literis aureis, *Nec plus vltra*, quia certiſſimum eſt naturæ terminos, & artis Spagyricæ limites in his eſſe montibus. Plus nec ars nec natura poteſt, quàm & Abylam & Calpen ſeu corpus & animam ſeparare, eáque perficere, & mari noſtro irrigare. Si quis horum montium ſeparationem, animæ & corporis diuiſionem, corúmque præparationem non intelligat, abſtineat quæſo, ab huius opuſculi lectura; non enim ibi diſcet chymicę artis operationes & labores, etſi labores Herculis ibi depictos & enarratos conſpiciat. Sunt enim prius cuique artis huius candidato, addiſcendę operationes Spagyricæ, ſeu laborandi modi ſunt addiſcendi, antequam ex opuſculo præſenti aliquid vtilitatis & commodi decerpere queat.

In montis Calpes & Abyla ſeparatione tota cōſiſtit ars.

AVREA MALA IN HESPE-ridum hortis ſurripiens Hercules, occiſo prius Dracone peruigili, qui ea cuſtodiebat, quid commonſtret Piochymicis.

CAPVT XIV.

INTER delicias & voluptates virtutis fructus decerpere poſſe, occiſo totius vitij ſpiritu, qui peruigili ſemper oculo hos fructus, & mala aurea perpetuò obſeruat, Herculeum certè facinus eſt: Si qui ſint inter homines qui tantùm valeant verè hominum fortiſſimi ſunt vel à Ioue ſummo nati.

Virtutis fructus carpere opus eſt Herculeum.

Nihilominus cum Iouis filij ſimus omnes, cœlúmque & patriam verè noſtram petere debeamus, hæc mala aurea, ſeu virtutis fructus decerpere debemus: non enim ante datur cœli aperta ſubire auricomos quàm quis decerpſerit arbore fœtus, hoc ſibi ferre munus,

Iupiter inſtituit, primo auulſo non deficit alter aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo, itaque non animum deſpondeant, qui magnanimos ſequuntur viros, non poſſunt ipſi virtutis fructus radicitus euellere, ſupereſt arbor, quæ perenni germinat fructu venientibus omnibus deguſtando.

Virtutis fructus nunquã deficiunt.

Propterea virtutis fructus aurea verè ſunt poma: nunquam enim deficiunt nec eorum odor, & color vnquam extinguitur. Soli ſunt qui bonitatis ambitum omnem & circumferentiã in ſe coërcent. Vnde qui viri boni cupiunt eſſe, omnes autem debent, illô vſtulari amore, hos virtutis fructus colligere habent, & Herculis ſequi vias, qui virtutum omnia idea eſt, & viri fortis, ac boni ſymbolum vnicum eſt, viam cœli regiam laboribus ſuis, ac operibus nobis indicans; & præcipuè in collectione, vel potius ablatione malorum aureorum, in hortis Heſperidum, occiſo priùs Dracone peruigili, qui ea perpetuò obſeruabat. Diximus Herculem non colegiſſe hæc poma aurea, ſed ſurripuiſſe, & ſuſtuliſſe, quia per vim & violentiam ſuſtulit, vt nobis ſit indicio, qui in hoc mundo, tanquam in Heſperidum hortis, aurea hæc poma habere tendimus, non eſſe colligenda, ſed ſurripienda & ſuſtollenda: ad quod alludit illud ſacrum ſacrarum paginarum, Regnum

cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.

Poma hæc aurea, non poſſunt aliter haberi, quàm vi, & labore ſummo, & cùm ſint virtutis fructus, via virtutis ſemper ardua fuit, & confragoſa: vnde & Dracones permulti, hanc viam inuiam & arduam frequentant & habitant, qui nos tanquam hoſtes, ab his theſauris, quorum cuſtodes ſunt, auertunt ac deterrent. *Virtus vi, & labore acquiritur.*

Cur autem Dracones ſint theſaurorum cuſtodes ratio in promptu eſt, nę detur pretium ac bonum vllum abſque labore, ſecundùm illud; Bonum poſuere Dij labore parandum: nō ęquum eſt potiri brabio abſque pugna, & certamine, nec coronari niſi quis legitimè certauerit.

Non ergo immeritò Draco peruigil cuſtos fuerit malorum aureorum in hortis Heſperidum: eo enim abſente, raptu facillima fuiſſent hęc aurea poma, nec Herculem expectaſſent; fuiſſent etenim quamplurimi nauci hominum, qui hęc ſurripuiſſent nî certamine inſigni, ac pugna fortiſſima opus fuiſſet: ita etiam virtuoſi eſſent omnes ac magnanimi, nî cum vitio pugnandum eſſet, at id ipſum ante debellandum, quàm virtutis potiri fructu, eiúſque inſigniri gloria, non datur roſa ſinè ſpinis, nec nucleus ſinè cortice, ac putamine du- *Cur Draco aurea poma cuſtodit.*

ro, quod frangendum nobis eſt, ſi eius dulci nucleo, quod intus latet, frui cupiamus.

Labor ergo qui in virtute paranda, & in rebus bonis omnibus adipiſcendis conſumitur, Herculis labor eſt, & viri fortis opus; obſtacula verò quæ opponuntur, & quæ bonum paratu difficile efficiunt, Draconis habent ſymbolum. Eſt enim Draco, venenum quod vitæ noſtræ inſidias perpetuas agit, itaque ſi tandem quieſcere velimus, inſidiatorem noſtrum occidere habemus, vt vitæ huius commodis, tanquam aureis malis frui valeamus: Nihil autem vitę noſtræ, commodis magis obſtat, & opponitur, quàm vitiorum cohortes, quæ tanquam dracones, felicitati veræ vitæ obſiſtunt, & Heſperidum perturbant hortum, ſiue humanæ ſocietatis paradiſum, ad quem rarus aduenit Hercules, & vir fortis, qui Draconem occidat aureáque mala ſurripiat.

Draco quid ſit in Heſperidum hortis.

Quòd ſi in vita humana rarus eſt Hercules, rarior adhuc erit & coruo albo mirabilior, in chymia facienda: Conqueritur fere omnis chymicorum turba, de difficultate artis Alchymiæ. Quid mirum? verus eſt Heſperidum hortus Alchymia, in ipſa florent ac pullulant aurea verè poma: at peruigili Dracone cuſtodiuntur. Non poſſunt ſurripi, niſi occiſo cuſtode, cuſtos autem nunquam

Quare chymia ſit difficilis & ardua.

occiditur, niſi præuia inſigni pugna: omnes autem pugnam hanc recuſant, & pugnæ brabio abſque certamine frui vellent.

Sunt tamen Chymicorum multi, qui hanc pugnam non recuſarent, modò ſcirent leges & normas illius certaminis, in quorum gratiam hic ergo depingam, quæ chymicè poſſunt deſcribi, vt huius certaminis leges notas ac peruias habeant. Etſi alij multi ſint ante me, qui idem docuerunt; at non ita facile, nec verbis adeò puris, & extra omnem ænigmatis vmbram prolatis, & expanſis.

Antequam pugnam & certamen iſtud aggrediar, explicandum eſt, quid apud Chymicos ſint Heſperides, quid ſit hortus Heſperidum, quid ſint mala aurea in his hortis pullulantia, quid deniq; Draco cuſtos horum fructuum, aduersùs quem fortiter pugnandum eſt, ipſeque tandem occidendus, vt mala aurea ſurripi poſſint.

Heſperides quid ſint.

Heſperides ergo quę apud Poëtas Heſperi fratris Atlantis ſunt filiæ tres numero, nomine Ægle, Arethuſa, & Heſperetuſa, nobis erunt & chymicis omnibus, tres illæ naturæ inſignes, quæ animalium vegetantium & mineralium ſortem & propaginem conſtituũt Heſperi fratris Atlantis veræ filiæ, hoc eſt ſpiritus mundi vniuerſalis ſanguine

ſatæ, qui frater eſt humidi innati, ſeu Atlantis, vt infra explicabitur, Capite ſequenti. Heſperus ſiue hic noſter ſpiritus vniuerſalis, genuit has filias, ex quatuor elementis. Hæ ſingulæ peculiares & ſingulares habent hortos in quibus aurea verè pullulant mala. Horti ſunt indiuidua quæque, quæ in ſingulis animantium, vegetantium, ac mineralium generibus conſtituuntur, hęc indiuidua quæquæ fructum habent aureum miræ virtutis, qui verus lapis Philoſophorum, ſeu natura ipſius: vnde clamant omnes Philoſophi, lapidem eorum vbique reperiri, quia in centro, & corde cuiuſcumque mixti latet ignis ſeu ſulphur chymicum, quod eſt eorum lapis, qui cùm auri naturam habeat, ſeu ſtabilitatem, permanentiam, & in igne conſtantiam, & ignis naturalis ſeu calidi innati ſit fons & ſedes, & virtutum facultatúmue omnium ſit fons & ſcaturigo, ideò malum aureum dicitur latitare in centro cuiuſcúmque mixti, mixtúmque vnumquodque dicimus Heſperidum hortum eſſe, aurifero nemore pretioſum.

Hortus Heſperidũ qualis & qui.

Malum aureum quid ſit in hortis Heſperidum.

Draco qui peruigili oculo hæc mala aurea in hiſce hortis perpetuò obſeruat, eſt moles illa indigeſta, terræque inutile pondus, quod in ſingulis mixtis coäceruatur, & fructum illum aureum cuſtodit, ne ab omnibus rapia-

Draco quid ſit in horto Heſperidum.

tur. Excrementum illud terreum quod turget in omnibus naturę mixtis, verus eſt Draco, qui nî occidatur aureo illo fructu cuius eſt cuſtos frui non poſſumus.

Qua voce ergo ſunt excipiendi Medici qui Alchymiam contemnũt & veram medicinam puram putam ægrotis porrigere ſe putant, cùm tamen vnà cum medicina, Draconem porrigant. Adeò vt ventriculus ægrotantium medicina frui non poſſit, quin ipſemet prius fungatur officio & robore Herculis, occidat ſcilicet Draconem quem vnà cum medicina vorauit. At ſæpiſſime procumbit humi ventriculus, ac proſternitur, & venenum Draconis, hoc eſt vis, ac virtus excrementitiæ terræ, & ſulphuris fuliginoſi iungitur morbo & vna, vitam ægrotantium oppugnant. Sic morbi qui per ſe curabiles erant incurabiles fiunt & lethales, pharmacis malè præparatis: ſed de hac re ſatis fusè diſputatum eſt multis in locis: at in vanum, quòd omnes credere non poſſint Alchymiam adhuc perutilem eſſe in præparandis medicamentis. Damno tamen quamplurimorum hoc vertitur, quia medicamenta, abſque vlla præparatione & excrementorum quibus turgent expoliatione propinantur, & ſic non poſſumus frui vera Medicina, quæ pura puta eſt,

rerum ſubſtantia in centro & corde, rerum exiſtens, quæ à Chymicis Philoſophis malum aureum nuncupatur, & Heſperidum fructus verè aureus & ſolaris, quum vitæ noſtræ & balſami vitalis ſit fomes & alimentum.

Habes iam, Spagyricę artis Candidate, explicata & enodata omnia quæ Caput hoc luce clarius, manifeſtant & oſtendunt: docendum ſupereſt Draconis noſtri certamen & bellum, vt eo occiſo ac interfecto, aurifero illo nemore pretioſo potiri queas.

In hoc potiſſimum certamine decent chymicum arma Herculis, claua imprimis, arcus deinde, poſtmodum pharetra ſagittis plena & exornata. Hæc omnia certaminis huius apparatum conſtituunt omnem: Claua patientia eſt, ac animi conſtantia firma ac perpetua, quæ huic arti potiſſimum neceſſaria eſt. Arcus eſt vas chymicum, cuius miniſterio & auxilio Draconem occidimus. Pharetra ſagittis exornata, eſt aqua Mercurialis ſpiritibus metallicis & igneis tanquam ſagittis turgens & exornata, quibus potiſſimum totum perficitur opus. Illa ſiquidem eſt aqua, de qua dicitur multis in locis apud doctiſſimos Chymicos, non moritur Draco, niſi cum fratre, & ſorore ſua interficiatur. Draco ibi corpus eſt terreum, & excrementium: frater eſt calor in-

In certamine Draconis quæ ſunt neceſſaria.

natus & primigenius : & ſoror eſt humiditas radicalis innata, quæ aquam conſtituit Mercurialem, quæ modo habeat calorem igneum ſufficientem & ab omni menſtruali ſorditie ſit probè emuncta, procul dubio Draconem vincit, ſuperat, ac demum interficit, hinc facilis patet aditus ad aurea illa poma euellenda. Et vt adhuc intelligant Spagyricæ artis alumni, modum & normam certaminis huius, notent quæ ſequuntur. Sumant ſanguinem metalli noſtri omnium viliſſimi, quod inter lapides cæruleos frequentiſſimè reperitur, & fimo tegitur fœtido, ſanguinem hunc facilè extrahent, ſi Mercurio magnetico vti ſciant, qui eductor eſt animarum omnium. *Hic latet tota Alchymia.*

Hic ſanguis vnà cum ſanguine Mercurij multis diſtillationibus eſt purificandus: ex fecibus tartareis illorum ſal extrahendus purus, putus, ac nitidus: hunc deinde ſalem exornamus anima ſolis, quam puram, putam extrahimus ope & auxilio ſanguinis ſuperiùs præparati. Hæc demum omnia æquali pondere ſimul mixta, vitreo carcere includimus, & Vulcano tradimus cuſtodienda, donec perficiantur, & aureum illud nobis illuceſcat nemus, pomis aureis vndiquaque rutilantibus exornatum atque refertum.

Dum hæc omnia methodo Spagyri-

ca pertractantur Draconem Heſperidum hortos obſeruantem ac cuſtodientem, ab Hercule occiſum conſpicere licet, & aurea mala ab Hercule eodem ſubrepta, modò lynceos habeamus oculos, & quæ in præſenti capitulo dicta ſunt intelligamus, quæ captu quidem facillima ſunt his omnibus qui Spagyricis artibus, & Alchymię raris & occultis myſterijs ſunt initiati. His verò qui Pegaſeio chymico fonte, labra non proluerunt, nec Vulcania vidērunt antra, ſummis erunt tenebris, & pluſquàm Cymmerijs obuoluta, ſed hos non moror, diſcant ſi velint, quæ diſcenda priùs, antequàm ſummæ hujus vtilitatis, & commodi fiant participes, antequam terræ fructus colligant Georgica diſcant, & antequam cœlo chymico beentur, cœlum ipſum feſſo & ſuccumbente ponderi Atlante, humeris ferant oportet; non enim Chymia cœlo beat, quin priùs inſano iuuet indulgere labori, vt ſequenti Capite clarum & manifeſtum fiet.

Qui chymicam tractat ſummopere laborandum eſt.

COELVM IAM FESSO, AC ſuccumbente ponderi Atlante, humeris ferens Hercules, quid Piochymicis commonſtret.

CAPVT XV.

COELVM humeris ferre arduum quidem eſt, & magnanimi viri opus, nihilominus mortales omnes, vt mortalitatem exuant omnem, vitámque perennem habeant, hoc Heroïcum facinus ſuſcipere debent. Cœlum eſt anima humana, quæ cùm præcipua ſit corporis pars, cœleſtis ac diuinæ propaginis cœlum meritò dicitur: cœlum enim præcipua mundi pars, actionum omnium fons, & ſcaturigo, animam certè humanam repræſentat, cùm & anima pariter ſit actionum & facultatum omnium radicale principium: & ſi cœlum habeat ſpiritum, cuius beneficio, ſuas elargitur virtutes rebus omnibus inferioribus; ſic & anima humana vtitur

Anima rationalis & cœli comparatio.

ſpiritu, cuius miniſterio, corporis facultates & actiones perficiuntur: & ſi cœlum ſtellis ac planetis exornetur, quorum micantes radij cœlum ipſum illuminant, ac totum rerum infernarũ orbem colluſtrant; ſic & anima humana, micantibus rationis & intellectus radijs, tanquam ſole & ſtellis condecoratur, ac corpus humanum tanquam quid infernum perluſtratur hiſce radijs.

Atlas quid & quare laſſetur.

Hoc ergo cœlum humeris ferre, ac ſuſtinere, ſuccumbente ponderi Atlante, hoc eſt corpore, magnanimæ quidem eſt virtutis; corpus etenim prælongo annorum ſpatio proſternitur ac laſſatur, ſeneſcente eius robore. Proinde eget Hercule, ad tam graue ſuſtinendum onus: Hercules erit virtus ipſius viri, quæ ſola eſt ſenectutis neſcia & expers ſepulchri, nullo pacto marceſcit, ſed ex ipſo ſenectutis medio vireſcit. Vnde ipſa ſola potens eſt, animam humanam ſeneſcente eius corpore, feſſo ac ſuccumbente tanto ponderi, ſuſtinere, ne labeſcat, ac vitijs corporeis inhæreat, & ſimul vnà cum eius luto putreſcat.

Hercules quid

Cur dicatur Hercules Atlantem adiuuare. Quid.

Sic eget anima noſtra, ſeu cœlum noſtrum Hercule, vt ſuſtineatur: quia corpus humanum cum ſuo ſpiritu primigenio tandem aliquando debile admodum & quaſſatum redditur, & ob

hoc fragilitatẽ ſuam in ſui ipſius ruinã, cœlum ſuum, hoc eſt animam trahit, nî caſum anteuertat virtus quæ ſemper in ardua tendit, ac creſcit in aduerſis.

Poſſumus interpretari cœlum ab Hercule humeris latum, vitam eſſe noſtram, quæ nî ab ſpiritu vitali quotidie foueatur, & refocilletur, tanquam ab altero Hercule, imminentem ac proximam minatur ruinam, vt pote feſſo ac ſuccumbente ponderi Atlante, qui nobis erit humidum radicale primigenium, quod quidem verus eſt Atlas: vitam enim, ſeu cœlum noſtrum humeris portat: laſſatur tandem ſucceſſu temporis ac ſeneſcit; humidum enim radicale noſtrum primigenium quotidie depaſcitur à calore natiuo, hinc debile fit, ac quaſſatur eius virtus, ac robur, vnde ponderi ſuccumbit, nî ab Hercule ſuccurratur, qui eſt ſpiritus vitæ aduentitius, ab alimentis ortum habens ſeu ab aëre, tanquam à Ioue & ab alimentis, tanquam ab Alcmena, propaginem ducens.

Humidum radicale poteſt dici Atlas, & cur egeat Hercule, hoc eſt alimento.

Alimenta ſiquidem terrenæ ſubſtantiæ, ab ſpiritu vitæ, qui in aëre latet, imprægnantur & ſic dicitur Iupiter Alcmenam, hoc eſt ſpiritus vitæ terram prægnantem facere, & generare Herculem, hoc eſt ſpiritum vitæ in mixtis omnibus, qui feſſo Atlanti ac ſuccumbenti, hoc eſt labenti humido radica-

Alimentum cur Hercules dicatur.

li noſtro ſuccurrit, vt vitam noſtram ſuſtinere queat.

Vt hæc perfectiùs intelligantur, néve videar ad libitum meum, ac placitum hæc antiquorum cõmenta commentari, repetenda nobis erit Atlantis fratrúmque ſuorum progenies: ex hac enim facilè colligemus hæc non eſſe commenta, ſed rerum intrinſecam veritatem, & occulta naturæ myſteria coërcere.

Iapeti hiſtoria chymicè explicata.

Fuit ergo Atlas Iapeti filius, qui quidem Iapetus ex cœlo & terra originem traxit, vxorémque nympham Aſiam duxit, ex eáque ſuſcepit filios ingenio & virtute claros, Atlantem, Heſperũ, Epimetheũ, & Prometheum, quorum filiorum virtute claruit ipſe, potiùs quàm virtute ſua: Atlas cœlum humeris ſuſtulit, Heſperus cœlum conſcendit, Epimetheus hominem ex luto finxit, Prometheus ignem cœleſtem ex rota ſolis, ad hominum vſum & commodum furatus eſt: hoc omne fabulam ſapit, nî detecta cortice, medullam videamus, quæ nobis ſecreta naturæ pandit.

Iapetus eſt humidum radicale.

Iapetus cœli, & terræ filius, nobis repræſentat humidum radicale mundi huius, quod verè cœli & terræ filius eſt, quódque nunquam per ſe claruit, quia nimis occultum eſt, & de eo pauca dicta ſunt, eáque ſub ænigmate, at filiorum

filiorum ſuorum virtute, & fama claruit, quæ enim gignuntur ab ipſo tanta ſunt, vt verè ex his fama volet, totúmque expandatur in orbem. Atlas naturam mineralium nobis exhibet, quæ cœlum verſùs ita ſe extollit, vt montium ſuorum cacumine cœlum ipſum ſuſtinere videatur: Heſperus vegetantium naturam repræſentat, quæ quamuis terræ hæreat, radicéſque altas in terra figat, nihilominus caput cœlum verſùs ita ſe extollit vt verè cœlicola dicatur, quòd in aëris medio viuat, aër enim cœlum dicitur. Epimetheus brutorum animantium naturam ſuo emblemate commonſtrat; quia verè eorum forma, virtus, & entelechia ex materia ipſa, tanquam ex luto, ortum habet. Prometheus naturæ humanæ vigorem ac virtutem, tanquam verè cœleſtem & ſupernaturalem, hieroglyphica imagine nobis indicat: igniculum enim cœleſtem, quem ex cœlo furatus eſt Prometheus, animam humanam eſſe contendimus, propter diuinam ac ſupernaturalem eius originem & artium omnium, ac ſcientiarum fontem & principium, vt fertur fuiſſe igniculus ille à Prometheo furatus, quem hominibus communicauit, vt cæteris animantibus brutis præcellerent, vt quod natura ipſis ſponte negaret, ipſimet arte, mente, & ingenio adipiſcerentur.

Atlas eſt natura mineralis.

Heſperus eſt natura vegetantium.

Epimetheus eſt natura brutorum.

Prometheus eſt natura humana.

Ignis à Prometheo furatus quid ſit.

Sic Iapeti ſeu humidi radicalis mundi progenies, in quatuor has naturas inter ſe diſtinctas,& tamen ab vno fonte productas extenditur: quarum vnam tantùm,ſcilicet Atlantis, ſeu mineralium naturam impræſentiarum ſumus explicaturi, & qua ratione ferre cœlum ipſa dicatur, & Herculis ope egere, vt tantum ſuſtineat opus & onus,id omne chymico ſumus dicturi eloquio.

Mineralium & metallorũ arcanum hic perfectè docetur.

Atlantis nomine Spagyrici Philoſophi intellexerunt corpus mineralium, quod quidem filius eſt Iapeti ſeu humidi illius generalis mundi,& materiæ primæ, quæ æquè generat mineralia,ac reliqua cuncta: hoc corpus minerale animam ſuam ſuſtinet,quamdiu poteſt, tanquam cœlum ſuum: deficientibus verò viribus ſuis ſubuenit illi Hercules, hoc eſt humidum alimentitium mineralium:nam mineralia cuncta æquè nutriuntur, ac vegetantia, & animalia,ſuo tamen modo: Alioquin non producerentur, nec propriè generarentur ab ipſa natura; quia quicquid illa producit, ac generat ex ſimilibus nutrit & auget; vt conſeruet & cuſtodiat ea quæ prod uxit. Sic conſeruantur mineralia cuncta, quæ natura format,ex ſulphure, Mercurio,& ſale. Sal corpus eorum eſt, ſeu materia :ſulphur eſt vis, ac virtus, ſeu ignis internus ipſius materiæ, qui cœlum chymicum dicitur: Mercurius

eſt humidum radicale nutriens, ac fouens ignem illum, ſeu cœlum ſuſtinens: hinc maximum elicies ſecretum in Alchymia facienda, ſi corpus alicuius metalli, ſeu Sal ipſius extrahere ſcias, nulla re extranea addita, præter humidum radicale metallicum, quod corpus ſuum diſſoluit, & in Salem primigenium conuertit, & ope ignis purificat, & in candidiſſimam, eámque nitidam vertit ſubſtantiam: Hoc deinde corpus purum putum factum, animam ſuam ſuſcipit, hoc eſt virtutem tingentem, ſeu ſulphur, & ignem. Et ſic perfectiſſimè humeris ſuis cœlum dicitur ferre, mediante Hercule, hoc eſt humido ſuo, cuius ope, & auxilio, ad tantùm roboris & fortitudinis deuenit; abſque enim cooperante humido illo, cœlum ſuum perpetuò ſuſtinere non poteſt, quin corruat, ob naturæ ſuæ fragilitatem, & mortis ſenectutíſque fomitem, quem deponere non poteſt, quin humido illo foueatur, nutriatur, & ſic nouas nunquam caſuras acquirat vires. *Cœlum humeris ferre quid ſit.*

Meditare ergo Alchymiæ candidate, vt Spagyricæ artis culmen pertingere valeas, quo pacto Atlantem tuum iam laſſum, ac feſſum, & ponderi ſuccumbentem refocillare queas: vt cœlum ſuum ſuſtinere queat, dabis illi comitem Herculem, qui ex Ioue, & Alc- *Atlas qua ratione eſt refocillandus.*

mena natus, vt ſuperius explicatum fuit, tibi negotium omne exſequetur. Eo abſente ac exulante, Alchymia nihil niſi monſtrifera eſt, vndiquaque difficultates & anguſtiæ pullulant, quæ ſolui non poſſunt, niſi ab Hercule ſolo: eo duce ac comite, facilis eſt iſtius deſcenſus auerni, & reuocare gradum ſuperáſque euadere ad auras.

GERYONEM TRICORPOREM bello ſuperans Hercules eiúſque armenta abducens quid Piochymicis indicet.

CAPVT XVI.

Tempori dominari ſumma eſt prudentia.

TEMPORI dominari, eiúſque potiri rebus, ſummum eſt prudentiæ humanæ culmen, hoc eſt Geryonem tricorporē bello ſuperare, eiúſque armenta abducere. *Tricorpor* ſiquidem tempus eſt, cùm præſenti, præterito, ac futuro conſtet rerum motu: eius armenta ſunt ea quæ in ſuo menſium, horarúmque ſpatio, tanquam in ſuo regno enaſcuntur, quæ homini aliquando felicitatem portendunt; aliquando infortunium, bono-

Digitized by Google

rúmque diſpendium : vt & armenta pecorúmque greges qui nobis ſæpiſſime ſunt ſummo detrimento, aliàs verò commodo, & vtilitati quàm maximę.

Hic eſt verus Geryon qui non ſolùm tribus Hiſpaniæ regnis, at vniuerſis terræ prouincijs dominatur: viri fortes omnes, ac magnanimi hunc habent debellandum, eiúſque debent potiri rebus; fortes aliàs, & magnanimi haberi non poſſunt, quin & prudentes habeantur: nec & prudentes eſſe queunt abſque temporis bello, eiúſque victoria. Quid quęſo prudentia eſt, quàm temporis vſus, hoc eſt his quę fiunt, quæ factura ſunt vti ſcire, & ex his quæ præterita ſunt colligere quę facienda, & quę factura ſunt: hoc eſt tricorporis Geryonis, ſeu temporis præſentis, præteriti, ac futuri armenta abducere, ſeu ea omnia, quæ in triplici temporis fronte adueniunt conducere, ac ritè gubernare.

Tẽpus eſt tricorpor Geryon.

Quòd ſi hæc in Philoſophia morali, maximum habeant pondus in humanis gerendis negotijs: maximo maius habent adhuc in Philoſophia naturali, in qua nobis oſtendunt quæ peragenda ſunt, vt armenta naturæ poſſideamus, hoc eſt arcana eius, & theſauros habeamus. Triplex ſiquidem eſt natura, animalis, vegetabilis, & mineralis, tripliciq́ue vnaquæque vtitur principio ſale

Natura eſt tricorpor Geryon: eius armenta ſunt eius theſauri.

ſcilicet, ſulphure, & Mercurio: Vnde verè Geryon tricorpor natura eſt, hæc vincenda eſt ac bello ſuperanda, vt eius armenta abducere, ſeu eius theſauros poſſidere valeamus: debellatur autem ſequenti methodo, & hac Martis arte.

In vnoquoque naturæ corpore latet ſpiritus hic extrahendus arte Spagyrica, & communi & Philoſophica: quæ quidem ars diuerſa ac varia eſſe poteſt, ſecundùm corporum varietatem, ac varium in natura ordinem. Animalium ſiquidem ſpiritus extrahuntur, ac ſeparantur ab eorum ſubſtantia leui quidem diſtillatione, putrefactione, ac fermentatione præuia, vt iam docuimus in Myrothecio noſtro, Capite ſuo peculiari & in ſingulis Capitulis libri primi eiuſdem Myrothecij.

Spiritus cuiuſcumque rei Hercules dici poteſt.

Hic deinde ſpiritus purus putúſque extractus, Hercules nobis erit, beneficio cuius Geryonem tricorporem bello ſuperabimus, eiúſque armenta abducemus; nam in vnoquoque regno, ſiue animali vegetabili, aut minerali, naturam tricorporem triplici ſuo principio, ſale, ſulphure, & Mercurio habebimus vinctam & ligatam, noſtróque arbitrio ſubiectam; ita vt ex natura illa habere valeamus quidquid eſt in ſuo imperio. Vnde quidquid animantium erit, vegetantium ac mineralium, in noſtra proculdubio erit poteſtate: modum autem

docuimus omnem in Palladio noſtro, non eſt opus repetitionibus vti. Repetam tantùm quæ proſunt ac faciunt ad omnes Spagyricos Authores antiquos, ac modernos intelligendos; in morte ſiquidem Geryonis tricorporis hæc rite perdocentur: nihil enim occiditur, quin putreſcat ſtatim: alioquin vera mors non eſſet. In putrefactione autem, & morte rerum omnium ſeparantur omnia, quæ compoſitionem conſtituebant precedentem, humidum imprimis radicale, & innatum, quod nobis eſt, & Spagyricis omnibus Mercurius: calidum deinde innatum, quod nobis ſulphur eſt, & in centro humidi deliteſcit: dum verò per diſtillationem actu ſeparatur, quod vnctuoſum eſt, & oleoginoſum ſulphuris noſtri & ignis ſapit naturam: Quicquid autem cineris in fundo vaſis relinquitur, caput mortuum noſtrum eſt, fex & ſcoria, in qua latet ſal noſtrum, quod eſt tertium naturæ principium: quod quidem purum, putum, nitidum ac candidum lotione multiplici faciendum eſt, vt ab omni vindicetur elementorum fece, deinde calido innato ſuo, & humido primigenio, prius optimè defęcatis connectendum. In his autem operationibus chymicis verè Geryonem noſtrum tricorporem ſuperamus, & quicquid eſt in ſuo regno ac Imperio verè abducimus. Nihil enim

Principia naturæ qua methodo ſeparari poſſũt & qua ratione connectenda.

eſt virtutis ac facultatis, quin certiſſimè notum,manifeſtum', ac nobis adeptum ſit, vt facillimè credunt qui in regno minerali æs Philoſophorum,verum tricorporem Geryonem vinctum ac debellatum viderunt, de quo cum ſilentio harpocratico ſemper eſt loquendum: quòd corpore,anima, & ſpiritu conſtet eatenus tricorpor eſt; ea ſiquidem tria corpora ſunt, quamuis animæ, & ſpiritus nomine efferantur. Corpus eſt ſal eius, anima eſt eius oleum: ſpiritus eſt eius aqua, quæ quidem tria in vnum redacta debellanda ſunt; debellantur autem aqua noſtra Mercuriali, quæ nobis eſt Hercules,vt ſuperius manifeſtum fecimus Alchymiæ candidatis, ex fictitia Herculis progenie,& aquæ noſtræ Mercurialis origine.

Aqua Mercurij ad opus chymicum neceſſaria.

Diſtilla ergo aquam ex Mercurio,ſed puram ac candidam habe, ex fæcibus ſalem extrahe,eiúſq; oleum & ſpiritum conſerua, rectifica omnia, ac in ſupremum naturæ ſuæ gradum ſublima, & cum hac aqua pura tincturam noſtram extrahe ex metallo noſtro vili,vitreo,& coque, & aquæ ſuæ rore ſæpiſſime irriga, lento igne coque: ſic Geryonem vinces in regno minerali, & eius armenta abduces, ſeu theſaurum mineralium, & metallorum apertum & tibi concreditum habebis, quo Cacum latronem Vulcani filium ſemihominem

ac flammiuomum certiſſimè opprimes vt ſequenti Capite tibi clarum fiet.

CACVM LATRONEM VVLCANI filium, ſemihominem, & flammiuomum opprimens Hercules quid Piochymicis indicet.

CAPVT XVII.

QVI bonis aliorum allatrant & famæ alienæ clanculum obloquuntur, hi verè Cacum latronem imitantur, eiúſque proſapiam redolent; ſemihomines tantùm ſunt: cùm alteri, & proximo ſuo inuidere, nec vllum vllo proſequi amore, non hominis, ſed bruti ſit: itaque cùm effigies habeant ſolùm hominum, animos autem ferarum, verè ſemihomines dici poſſunt, & Vulcani filij ac flammiuomi: cùm id quod ipſi in alios euomant, verus ſit ignis & flamma comburens ac vſtulans; non amor, non charitas, quibus hominum genus ſecurum & aureum viuit æuum, ſed

Inuidi verè Caci.

inuidia eſt & odium quibus ferreum omnino putet ſæculum : quæ omnia viro prudenti, ac forti vincenda ſunt ac ſuperanda, vt tandem pacatè viuat, deuicto Geryone tricorpore, ſeu tempore, ex cuius victoria, cùm famam, laudem & gloriam quam maximam reportet, Cacus clanculum furatur ipſa, tanquam Herculis armenta è Geryone deuicto relata: At tandem luit ipſe pœnas ſui facti, & furti, fúſque deque euertitur domus eius, & antrum, nihil proderit fumus, nec ignis aduerſus Herculem; quin igneos elidat oculos & ſiccum ſanguine guttur opprimat, túncq;

Herculis armenta qualia.

Panditur ex tēplo foribus domus atra reuulſis
Abſtractæque boues abiurataque rapina
Cœlo oſtenduntur, pedibúſque informe cadauer
Protrahitur, nequeunt expleri corda tuendo,
Terribiles oculos, vultum, villoſáque ſetis
Pectora ſemiferi, atque extinctos faucibus ignes.

Simile obuenit Zoilis omnibus, inuidis, ac detractoribus, furantur famam, gloriam & laudem omnium, ſed tandem aduenit vir fortis ac prudens, qui prudentia ſua, ac animi fortitudine, liuorem eorum pandit, ac inuidiam: nihil prodeſt vmbroſa ſpelunca, nec vani eorundem fumi & ignes, hoc eſt mendacia occulta, ſpecioſi prętextus, & calumniæ, & commenta maligna, quæ ſpeluncam, fumos, & ignes vanos Caci,

Zoilis impendet fortuna Caci.

nobis exhibent: nihil hoc adferet nocumenti viro forti, ac prudenti, quin tandem Cacum deuincat, ac ſuperet, & ſua omnia quæ illi abiurata fuere recuperet, & monſtroſum, ac ſemiferum foras in publicum protrahatur Zoilorum cadauer.

Quòd ſi hæc fabella in Philoſophia morali, ſic explicata locum habeat; quidni etiam in Philoſophia naturali, ſedem habere poterit? cùm & ignis præter naturam Cacus noſter ſi vterus latro, Vulcani filius, flammiuomus ac omnino monſtroſus.

Ignis præter naturam eſt verus Cacus.

Latronem dicimus ignem præter naturam, quòd multa furto ſurripiat naturæ, eáque antro ſuo, & vmbroſa mortis ſpelunca claudat. Vulcani eſt filius monſtroſus ac ſemiferus, quòd ex igne elementali, non cœleſti originem habeat; vnde monſtroſus, ac ſemiferus, tanquam terræ natus, qui cuncta naturalia, & ſecundùm naturę ordinem enata depopulatur, & anhelitu ſuo flammiuomo cuncta ſuffocat, donec tandem adueniat Hercules, qui monſtroſum hunc ignem omnia deuaſtantem penitus extinguat. Hercules hic, erit robur & facultas vitæ, omnibus inſita rebus, quæ Cacum noſtrum ſuperat ac deuincit, quòd facultates ſuas proprias & innatas ſurripere tentaſſet; nam ſæpiſſime calor ille præter naturam, facul-

tates naturales, vitæ germen, producendi energiam, creſcendi potentiam, nutriendi robur ſibi arrogare vult, contra naturæ leges vnde in ipſas vitæ facultates irruit. At vita ipſa, ſeu ignis naturæ qui verus eſt Hercules, excandeſcit ira, & arma capit aduersùs Cacum illũ: vt videre licet in criticis temporibus, in quibus morbo grauiſſimo fungimur: tunc ſiquidem temporis videmus Herculem noſtrum, ſeu vitalem ignem, Cacum noſtrum ſeu ignem præter naturam aggredi, hinc faucibus ingens fumus euomitur, hinc ſudor erumpit, inuoluitúrque corpus caligine cæca glomerantúrque cauo ſub corporis antro vapores atri, & caliginoſi, mens obtenebratur, ita vt cum Virgilio dicere valeamus.

In criticis tẽporibus Caci pugnã cernimus.

Faucibus ingentem fumum mirabile dictu
Euomit, inuoluitque domum caligine cæca.
Proſpectũ eripiẽs oculis, glomeratq; ſub antro
Fumiferam noctem commiſtis igne tenebris.

Donec tandem Alcides, per fumos, per ignes, & aquam, Cacum in tenebris arripiat, & enecet; tunc pacata fiunt omnia, reſerantur pori corporis, refocillaturque calor naturalis. Et redeunt amiſſæ priſtinæ facultates, quæ à calore pręter naturam abſtractę, & abiuratæ fuerant. Sic Cacum latronem Vulcani filium, monſtrum ingens, & horrendum vincimus ac debellamus. At tutiori

pugna in chymicis debellamus Cacum hunc, ſi ſalem chymicum noſtrum diligenter aquis alteramus, & ſuis aquis attritis purificemus, varijſq; cõtritionibus, calcinationibus, & deſiccationibus confricemus, plurimíſque aſſationibus concrememus, vt fiat terra pura liberata, ac vindicata ab alijs elementis: tunc enim temporis Cacum, ſeu ignem præter naturam, qui in ſale naturę reſidet, extinguimus, igne noſtro naturæ adhibito, qui nobis tanquam Alcides ſemper præſto adeſt, ad hoc arcanum peragendum: Sunt enim Alcides & Cacus apud Chymicos, Sal, & ſulphur eorum, qui in Mercurio pugnant, donec Sal ſulphur occidat, è cuius morte, Sali reſtituuntur innatę, ac propriæ viuificandi virtutes, quas ſibi ſulphur combuſtibile temerè vindicare voluerat: hoc mirum & inſigne arcanum clariùs patefieri non poteſt. Si Herculis tamen & Caci propaginem ſublimi mentis acie Alchymiæ candidati perpendere, ac contemplari velint, hoc arcanum notum habebunt, & Sal, & ſulphur Chymicorum percipient, quibus deficientibus deficit & Alchymia; & quibus notis, nota etiam eſt tota ars noſtra.

Alcides & Cacus quid apud Chymicos.

CENTAVROS DOMANS Hercules, & Augiæ ſtabulum repurgans, quid Piochymicis repræſentet.

CAPVT XVIII.

Imprudentes ſunt veri Centauri.

IMPRVDENTES & temerarij, qui præcipiti curſu feruntur ad omnia & incautè, ac inſcitè ardua quæq; tentant, veri Centauri haberi merentur, & digni ſunt Herculis claua, vt domentur: neque perinde abſonum eſt, at rationi valde conſonum prudentes imprudentibus dominari.

Sunt autem temerarij & imprudentes, veri Centauri; quòd Centauri pernicitate valuerunt, propter ſemiequi formam quam habere finxerunt Poëtæ. Equus ſiquidem curſus rapiditate ſumma valet, & calcaribus impulſus fertur ad omnia, etſi ſint inuia, ardua, ac præcipitijs obſita. Sic & temerarius ac imprudens ira compulſus, vel corporis, aut animi leui quodam impetu tan-

quam acri quodam ſtimulo concitatus, ad ardua quæque tentanda, etſi ſint periculoſa, eáque vitioſa excitatur. Hinc ſæuit toto Mars impius orbe.

Viuitur ex rapto, nō hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt:
Imminet exitio vir coniugis: illa mariti,
Lurida terribiles miſcent Aconita nouercæ
Filius ante diem patrios inquirit in annos,
Victa iacet Pietas.

Sic Augiæ ſtabulum creſcit ingens, ad quod repurgandum Herculea opus eſt virtute; tantum enim vitij ex temeritate, ac imprudentia exſurgit, vt verè Augiæ ſtabulum dicere valeamus, in quo propter tria boum millia ſtabulari conſueta, tanta aderat inquinatio, ac fœtor prægrandis, vt maior excogitari non poſſet, adeò vt ſolum Herculem popoſcerit eius repurgatio. *Augiæ ſtabulum quare irrepurgabile.*

Non abſimili allegoria, in animo temerariorum ac imprudentum propter infinita ferè vitia, quæ in eo ſolent ſtabulari, tantùm ſolet reperiri inquinamenti, vt maius reperiri non poſſit: eius repurgatio legitimus eſt Herculis labor, ſeu virtutis opus.

Quòd ſi in animis vitioſorum hominum tanquam ſemibrutorum Centaurorum, hoc inquinamenti inueniri contingat, metaphorà hinc deducta, dicere poſſumus metalla imperfecta &

Metalla imperfecta ſunt Centauri & filij Ixionis.

impura, Centauros eſſe naturæ, quos Ixion ex nube in Iunonis effigiem efformata, ſuſcepit: igneus ſiquidem ſpiritus metallicus ſulphureus, qui verus nobis eſt Ixion, cùm terram puram ac candidam, ſalem putà metallicum purum, ſummo perſequatur amore, nec tanto thalamo dignus haberi poſſit; Ioui etenim ſoli, hoc eſt ſpiritui mundi reſeruatur, nubem à Ioue obiectam, hoc eſt terram impuram metallicam perſequitur, & cum ea copulatur, & ex tali copula metalla ſurgunt impura, & imperfecta, vitijs terreis quamplurimis inquinata, quæ Herculi domanda ſunt, hoc eſt ſpiritui metallico attenuanda: niſi enim attenuētur metalla impura, aquis metallicis, ſpiritu illo metallico imprægnatis, nihil proſunt arti noſtræ, nec ex metallo deinde noſtro vili, tincturam & ſulphur verè aureum extrahere poſſunt; quod ſi hæc non agere poſſint nullatenus proſunt, at potius nocent, ac veluti Centauri nuptias Pirythoi noſtri perturbant, vxorémque Hippodamiam præripere tentant, ni ab Hercule noſtro domentur. Domantur autem modò atterantur, & aquæ Mercuriali permiſceantur, quæ ita attenuat metalla imperfecta, eáque adeò depurat, vt verè feritatem & agreſtem, terreámque naturam dicantur deponere, & verè cœleſtia fiant. Nam eo modo, corpora

Metalla impura qua ratione atterãtur.

corpora ſpiritus fiunt, & terra cœlum petit, quod in arte noſtra præcipuum, ac ſublimiorem ſibi vēdicat locum: huc enim deferenda ſunt corpora noſtra, alioquin nobis prodeſſe nequeunt, niſi corpora fiant ſpiritus, Ethelia non aſcendet, ea autem non aſcendente, vanum eſt opus chymicum, clamant omnes philoſophi in Turba; Ethelia autem eſt anima occulta metallica, ſeu ſulphur naturæ in metallis imperfectis occultatum, quod aqua noſtra extrahit, & ex terreo illo fimo & ſtercore abducit, quod in metallo noſtro præcipuè maxima in quantitate reperitur. Vnde non immeritò clamāt philoſophi Spagyrici aurum noſtrum, lapis noſter, ſulphur noſtrum, & argentum viuum, quæ omnia vnum & idem ſunt, in ſtercore & fimo reperitur, & in ſterquilinijs proijcitur: quia certiſſimum eſt, animam illam metallicam, ſeu ſulphur naturæ metallicum, inueniri in hocce metallico recremento, & ſcoria, quæ verè fœtet, & ſtercus metallicum ac ſterquilinium nuncupari poteſt: vnde datus eſt fabulæ noſtræ locus, Augiæ ſtabulum, ab Hercule ſolo repurgatum eſſe: quia certiſſimum eſt, hæc ſterquilinia metallica, non poſſe vllo pacto, nec vlla artis induſtria repurgari, quàm ab aqua ſola Mercuriali: quæ cùm ex Ioue & terra metallica originem habeat,

Ethelia quid ſit.

Sulphur naturæ vndenā extrahatur.

Hercules chymicus verè dici poteſt, cui ſoli competit & Centauros Ixionis filios domare, & Augiæ ſtabulum, hoc noſtrum repurgare, domat ſoluendo, repurgat repetitis ſolutionibus, filtrationibus & coagulationibus, donec tandem purum putum habeat ſal metallicum & ſpiritum, quæ ſimul coniuncta & vincta indiſſolubili vinculo connectuntur, & anima deinde auri, vel argenti permiſcetur æquali pondere, & hoc omne vulcano & tempori ſatis longo datur cuſtodiẽdum, donec integrè perficiatur: tunc enim temporis ſolum vas, vnáque materia: hæc enim tria antedicta, vnum ſunt, ſoiúſq;ignis requiritur vnicæ fornaculæ concluſus, temperatus ac lenis, perpetuus ac perennis.

In aliӯs naturæ regnis qua ratione ſulphur natura habẽdum ſit.

Sic domantur Centauri, & Augiæ ſtabulum habemus repurgatum in mineralibus. Quòd ſi quis in aliӯs naturæ regnis, vegetantium putà, & animalium naturis, hoc idem agere cupiat, ſcilicet Sulphur impurum crudum & incoctum à ſulphure naturali & verè vitali ſeparare, ſpiritum animantium, & vegetantium purum putum habere oportet, & cum eo, Sulphur illud naturæ cineribus & terreis vegetantium ac animantium latitans, extrahere, & ad ſublimem cœleſtémque euehere naturam, quam fixam, ac conſtantem facere decet, coctione perenni. Tunc certè

poſſidemus arcanū naturæ mirum , & totius mundi theſaurum, medicinæ baſin, ac columnam & morborum curandorum tutum Aſylum, felix ,térque, quatérque beatus , quem faciunt hæc myſteria cautum,ac prudētem, vt Centauros domare queat, & Augiæ ſtabulum repurgare valeat, quod inueniet, vbi certè nemo mortalium fere excogitare poteſt,nì diuina prorſus inſpiratione ducatur ad hoc peculiare munus, vel manu alicuius amici demonſtrantis ad tanta myſteria perducatur , quod certè hoc miſerrimo tempore rariſſimum eſt : nam ſi vix nummus cōcedatur,quàm difficiliús multò theſaurus integer ac infinitus.

HESIONEM MONSTRO MARINO expoſitam,occiſo Ceto liberans Hercules, quid Piochymicis indicet.

CAPVT XIX.

CASTITATEM muliebrem voluptatis illecebris expoſitam extinctis ac ſuffocatis totius libidinis focis , tanquam veris marinis piſtricibus ac monſtris inclytæ virtutis eſt labor. Vnde non immeritò finxerunt

Caſtitatem difficillimum eſt ſeruare.

Digitized by Google

antiqui Heſionem monſtro marino expoſitam, ab Hercule liberatam eſſe: Heſione ſiquidem caſtitatem muliebrem inſigni pulchritudini cōiunctam, ſub huius ænigmatis vmbra nobis oſtendit, quæ fere ſemper voluptatis illecebris exponitur, vt ſibi tutos vitæ muros conſtruere valeat, hoc eſt vt ſibi legitimum ſponſum adipiſci queat, qui tanquam murus aheneus ipſam tutari poteſt. Fertur ſiquidem Laomedontem Heſiones patrem, hanc dono promiſiſſe Apollini & Neptuno, ob conſtructos ac fabricatos Troiæ muros, quam cùm tradere, vt promiſſis ſtaret, recuſaſſet, indignatus Apollo, & Neptunus; peſtem ac inundationem Troiæ immiſerunt, quibus calamitatibus obſeſſa Troia, nunquam potuit liberari, niſi ſecūdùm oraculi reſponſum virgo Troiana ſingulis annis monſtro marino deuoranda traderetur: Sors tandem incidit in Heſionem Regis ipſius Troiani filiam, quam ſolam expectabant Apollo ac Neptunus: hanc iam ſcopulo alligatam ac infandæ morti proximam, Hercules fortè fortuna, hàc tranſiens, illæſam ac liberatam, occiſo prius monſtro, Laomedonti ſe tradituram promiſit, modò equi diuino ſemine procreati, in præmium tanti facinoris ac beneficij, ſibi traderentur: hunc igitur in modum pactione facta,

Hiſtoria Heſiones.

Hercules Heſionem à faucibus horrendi monſtri liberauit, occiſo monſtro. Indignatus tamen Hercules cùm equi promiſſi non ſibi traderētur, Iliū expugnauit, Laomedontem interfecit, & Telamoni qui primus omnium murum cōſcenderat, Heſionem vxorem dedit.

Explicatio hiſtoriæ Heſiones.

Quot iam ſunt homines Laomedōti ſimiles, qui vt ſibi vitæ commoda ac munimina, tanquam Troiæ muros adipiſcantur omnia tentant, & periurijs ſuis fallunt omnes, donec tandem pereunt ipſi, fortunáque eorum euertitur, & optima quæque quæ illis pretio ſummo erant, fortibus diſtribuuntur, imò & caſtitatem virginum quæ illis maximo habetur pretio, monſtris exponitur marinis, hoc eſt hominibus ſalacibus, è quorū manibus vix elabuntur, niſi virtute quadam Herculea, & verè heroica id contingat, quæ fortè, fortuna, in hiſce humanis calamitatibus obuiam aliquando, ſeſe effundit.

At in hiſce fortunæ caſibus rarus eſt Telamon ac Hercules, hoc eſt, viri fortes, & inſigni virtute præditi, raró occurrunt qui ab hiſce calamitatibus nos emergant: quòd ſi fato quodam id contingat præſtò illis adſunt equi diuino ſemine procreati, hoc eſt fama, & gloria, ſunt pretium tanti facinoris, quæ veluti equi Pegaſei, tantum facinoris & heroicæ virtutis, ad cœlum

Digitized by Google

vſque extollunt,&per vniuerſum terrarum orbem deuehūt : fama ſiquidem& gloria ſunt diuinæ propaginis , quæ nos ad periculoſa quæquæ tentanda compellunt ; ea enim eſt vis , ac robur famæ,ac gloriæ,vt ad ea acquirēda difficilia quæque adimus , híſque aditis , laboribúſque ſuſceptis nullus inuenitur, qui mercedem rerum geſtarum non deſideret gloriam. Quorum palato non ſapiet hæc moralis explicatio, intima naturæ rimentur, vt videant quid in centro cuiuſcumque rei pulchrum ſit, & virginis Heſiones nobis exhibeat imaginem,&ſimulachrum. Terra ſiquidem perpulchra latet, in omnibus naturæ indiuiduis, quæ Virgo dicitur impolluta , &incorrupta, quam ſolam expoſtulant Neptunus & Apollo ,hoc eſt humidum & calidum innatum cuiuscumque rei, in pretium ac mercedem conſtructi Troiani muri,hoc eſt corporis fabricati : humidum etenim &calidum innatum conſtruunt & fabricant corpus cuiuſcūque rei , & in præmium tanti facti Heſionem expoſcunt,hoc eſt terram puram ac virginem , quæ ſalis naturam ſapit expetunt,vt in ea perſtricto ſocietatis vinculo , viuant ac perdurent:in alijs enim corporis partibus perſiſtere non poſſunt , peſtis illicò adeſt & corruptio , mors & deſtructio corporis , quod antea ipſamet

Heſiones chymica qualis & quæ.

cõſtruxerant. Corpus craſſum ac fæcu-
lentum verus eſt Laomedon, qui Heſio- *Corpus craſſum Laomedon eſt.*
nem ſuam hoc eſt terram illam puram,
quæ in centro ſuo latet, Apollini &
Neptuno, recuſat: Peſtis hinc aduenit & corruptio, donec tandem Heſione, ſeu terra illa virgo, humiditatibus corrumpentibus, acri mordacitate proditis, ac ſalſedine plenis, quæ in omni corruptione turgent, deuoranda traditur. Præſtò tandem adeſt, diuinus Alcides, hoc eſt ſpiritus mundi, qui ſuo robore, ac diuina prorſus agendi facultate, ac potentia, Heſionem, ſeu terram illam virginem, è corruptione illa vindicat, deſtructis humiditatibus corrumpentibus tãquam mõſtris marinis: Corpus adhuc viuens tradere non vult, Herculi ſpiritus ſuos, qui ſunt equi diuino ſemine procreati; ſpiritus ſiquidem vitales vniuſcuiuſque corporis cœleſtis ſunt proſapiæ, & proinde non temerè à mythologicis equi diuino ſemine nati nuncupantur, quòd ab influxu ſolis, radiiſque eius ortum habeant: hinc etiam influxus radijque ſolares, equi dicuntur ſolis. *Influxus cœleſtes equi dicuntur.*

His ergo equis ſeu ſpiritibus vitalibus Herculi non conceſſis, Troiæ indicitur bellum, eáque deſtruitur ac euertitur, Laomedon interficitur, equi illi diuini poſſidentur ab Hercule, & Heſione Telamoni nubit, hoc eſt, corporis prima

compages euertitur & deſtruitur, corpúſque ipſum, quod eſt Laomedon morti ac neci traditur, ſpiritus eius traduntur ac permiſcentur ſpiritibus generalibus mundi: Purum autem corporis ſeu terra illa virgo, nouum ac recens ſuſcipit corpus, priori fortius ac nobilius, & ſic Telamoni iungitur, hoc eſt ſpiritui primo connectitur qui ad corpus primum deſtruendum primus impenditur. Sunt enim ſpiritus qui primi, corporis deſtructionem moliuntur, & iunguntur terræ, virgini corporis, & ſic dicunt Mythologi Telamonem Heſionem ducere vxorem: Herculē Laomedontem interficere, Troiam euertere & equis potiri diuino ſemine procreatis.

Purum corporis eſt Heſione, ſeu terra virgo.

Sic rerum omnium progenies & ortus ac interitus ſub huius fabulæ tegmine nobis deteguntur: & quod ſecretum eſt, & arcanum in jntimis naturæ thalamis omnium oculis exponitur expectandum: ſi qui ſint, qui hæc non videant ſciant pro certo, glaucomate oculos eorum inſici, non eſt poſſibile clarius loqui, ac interpretari naturæ myſteria, niſi manuali experientia manifeſta fiant.

Omnium rerum ortus ac interitus Heſiones fabula deteguntur.

INSVLAM CON DIRIPIENS Hercules eiúſque Regem Eurypilum vnà cum vxore & liberis neci dans, quid Piochymicis portendat.

CAPVT XX.

Fortitudinis inſigne quale.

PACI imponere legem, parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos, hoc inclytæ virtutis eſt opus, ac fortitudinis eximiæ fama, ac gloria. Fertur Eurypilum, Herculem de Troia ac Laomedonte triumphantem, hoſpitio recipere noluiſſe, cum inſulam Côn tempeſtate aduectus appuliſſet Hercules. Quam in humanitatem, virtutíſque contemptum ægrè ferens, totam diripuit inſulam, Eurypilum interfecit vnà cũ vxore, & liberis, & meritò quidem, ac ſummo cum iure; virtuti ſiquidem ac fortitudini obſiſtere velle, impari robore, ac fortitudine, imprudẽtiæ ſummæ viuum eſt ſimulachrum: victori exercitui etenim ac

triumphanti vnuſquiſque prudens ac ſapiens, ſi ſit impar viribus, aureas & argenteas debet illi parare vias, cum donis maximis, ac muneribus præclaris occurrere illi, vt aliò vertat viam, & tutã ac quietam linquat patriam: ſi hoc feciſſet Eurypilus inſulam & regnum ſuum, non Herculi præbuiſſet diripiendum, nec ſuæ mortis, vxoris, ac liberorũ omnium ſuorũ cauſam & occaſionem ſibi ipſi adſciuiſſet, ſed pacatè ac tranquillè regnaſſet. At fatale eſt incautis, cum periculo, ac bonorum ſuorum detrimento, prudentibus ac ſapientibus, vitæ normas oſtendere, vnde ipſis natum eſt prouerbium: fœlix quem faciunt aliena pericula cautum. Ex his ergo patet, Herculi, hoc eſt, fortitudini inuictæ nunquam eſſe obſiſtendum, at potius blandiendum; hinc nobis multum exſurgit emolumenti, illinc verò calamitatum gurges emergit.

Exercitui vitori recurrere debimus.

Fortitudini non eſt obſiſtendum.

Non ſecus ac in chymicis arcanis tractandis contingere ſolet, ſi fortitudini ſpagyricæ, hoc eſt, ſpiritibus æthereis, ac igneis obſiſtere velimus, & viam cohibere, non ſolùm vaſa rumpuntur; at etiam arcanum ipſum chymicum diſperditur, vnà cum rebus omnibus, quæ ad arcanum pertinent: Sic Cos inſula diripitur ab Hercule, & Eurypilus interficitur, vnà cum vxo-

Cos inſula qua ratione diripiatur.

re & liberis ſuis.

Heu! quoties id mihi ipſi obtigit, dum ſpiritus metallicos æthereos & igneos, qui ſpagyricis Herculis proſapiam ac indolem repræſentãt, cohibere vellem, vaſis confractis, ac diruptis, omnia per cineres diſperſa ſunt, & in aëra volitarunt ſpiritus, ſic direpta eſt tota inſula mea Côs, & Eurypilus interfectus, vnà cum vxore, ac liberis. Arcanum ſiquidem chymicum Rege ac regina conſtat, ac prole ſumma, vnde non immeritò, finxerunt Græci Eurypilum interfectum eſſe vnà cum vxore, ac liberis omnibus ab Hercule hoſpitij legibus violatis indignato. Hoc quidem ſæpiſſime cõtingit in chymicis arcanis peragendis; dum enim ſpiritus æthereus & igneus benignè & pacatè non recipitur à terra noſtra, quæ eſt Côs inſula, cui imperat calidum innatum fixum, tanquam Rex; & humidum innatum, tanquam Regina, quibus adeſt proles ſumma, ac numeroſa, ſpiritus putà multi ac copioſi, tunc temporis dirumpitur vas, terra nimis excandefacta, tanquam Eurypilo bile tumente.

Arcanum chymicũ Rege & Regina conſtat.

Quid Rex & quid Regina ſit apud chymicos.

Ob quam rem ſint rei ſpagyricæ candidati hac in parte cautiores, ne in vas calefactum ſpiritum ſuum tanquam huc tempeſtate aduectum proijciant, ſed pedetentim infundant, vt Eurypi-

lus,ſiue arcanum chymicum benignè recipiat ſpiritum, ſiue Herculem. Alioquin diripietur tota inſula, & totum peribit arcanum, quod Philoſophi omnes in Turba ſæpe ſæpius indicarunt his verbis: Irriga ſæpius, & pedententim infunde, ne ſubmergatur terra noſtra, & fiat in ea diluuium: multiplici ſiquidem via hîc errare poſſunt chymiæ tyrunculi, vel ſubitanea aquæ mercurialis impoſitione, qua vas aliquando dirumpitur, vel nimia eiuſdem aquæ irrigatione, qua ſubmergitur nouus & tenellus artis chymicæ fœtus, & aquis ſuffocatur, vel etiam parca & nimis pauca huiuſce fontis chymici vnda ſuperfuſa, qua aduritur terra noſtra, & ſulphur noſtrum quod temperatam ac moderatã expoſtulat irrigationem, ſæpiúſque iteratam, ne copia vitalis vndæ ſuffocetur, vel ea deficiente aduratur & vſtuletur igneo ſui ipſius calore interno, in quibus omnibus, Herculem inſulam Con diripientem cernimus, & arcanum chymicum penitus annihilari.

Quibus modis errare poſſumus in chymia facienda.

AMAZONAS DEBELLANS Hercules & hippolytem earum Reginam iure belli captam, ſurrepto eius baltheo, Theſeo ſuo bellorum ſocio tradens, quid Piochymicis demonſtret ac indicet.

CAPVT XXI.

MARTE belloque, potentes Amazonas, quamplurimi ſunt qui exiſtimant eas ipſas virtutis, ac fortitudinis eſſe ſilachrum; nihilominus ſi ad rationis lancem ac trutinam earum hiſtorias renocemus, vitij potius eſſe veras icones ac imagines inueniemus, quàm vllam vllius virtutis, ac veræ fortitudinis præſeferant ſpeciem. *Amazones quid indicēt.*

Id enim colligimus non ſolùm ex nomine, & earum etymo: ſed etiam ex victus regimine, earúmque impudicè ac facinoroſè geſtis, dictæ ſunt Amazones quòd mammis careãt: ἀμαζὸς enim mãma eſt, vnde ἄμαζος quaſi ſinè mamma: fuit enim apud illas, cruenta ac *Amazones vnde dictæ earum leges & decreta.*

penitus Draconica lege ſancitum, vt nati mares omnes, quos ex viris ſuſciperent, in ipſomet vitæ ortu interficerentur, femellis tantùm ſeruatis, quibus mammam dextram nouacula candenti præſcindebant, ne pugnæ ac martis arti eſſet impedimento.

Earum ergo etymon demonſtrat, Amazonas mulieres eſſe, quæ naturali ac diuinæ legi parere, ac obedire nollent, ſed faſtu ac ſuperbia nimis turgida, etiam cum periculo mortis, ac ſummo dolore, leges has naturales, ac diuinas perfringere vellent: nónne ſiquidem lege naturali ac diuina ſancitum eſt, mulieres omnes partum ſuum nutrire debere, ob quam rem mammas ambas illis, ſumma cum prudentia cõmunicauit, vt ſi quando vna harum ægrotaret, vel caſu aliquo deficeret, altera partui educando inſeruiret: hæ verò mulieres genio naturali, ac Deo ipſo prudẽtiores, vnam tantùm ſibi arte parabant mammam, eámque ſolùm femellis, non maſculis reſeruabant: quid quæſo in rerum ſerie crudelius, ac vitio ipſo turgentius reperiri, poſſit.

Mulieri cur mãmas ambas natura dederit.

Crudelitas in ſummo eſt quæ ſibi non parcit, ac vitium ſummum eſt, quod in ipſa vitæ prauitate, ac morum omnium deprauato cultu, virtutis ac fortitudinis culmen ponit: natis non

Crudeles erant Aamzones.

parcere eſt ſibi ipſi vim inferre, mãmis carere velle, eſt naturales peruertere leges: bello præeſſe, Martémque profiteri, eſt altiùs quàm natura poſtulat ſapere velle, & quod natura negat inuitáque Minerua recuſat, diſcere ac facere tentare.

Hæc omnia in regno Amazonum ſummo cum rigore vigebant, ac proinde vitij regnum potius, quàm virtutis imperij præſeferre ſpeciem ſumma cum ratione, contendere vellem: peculiare ſiquidem eſt ac vitio proprium, naturæ ac Deo repugnare, virtuti verò, & naturæ & Deo parere ratum eſt, eorúmque leges ex iure ſummo obſeruare conſuetum. *Regnum Amazonum erat regnum vitij.*

Non ergo temerè finxerunt Græci Herculem Amazonas debellaſſe, cùm virtutis ſit labor peculiaris, muliebrem faſtum, ſuperbiam, ac dominandi, & imperandi eximiam cupiditatem deuincere, & præcipuè ſuperbiam, quæ apud Amazonas vera & vnica erat Hippolyte regina & Imperatrix, caput omnium, quam iure belli captam Theſeo ſuo dedit deſponſandam, vt penitus deponeret animum ſuperbum, iugo maritali ſubiectum. At prius baltheum ei abſtulit, hoc eſt belligerandi facultatem: Baltheus ſiquidem eſt ſuccingulum bullis ornatum è quo pendet gladius belli, ac Martis index: Baltheum *Hippolyte quid indicet.*

ergo illi ſuſtulit, hoc eſt præ
amplius Bellonæ ac Martis labo
Hippolyte cum Theſeo nupta ciperet, ſed munera ſua, penſa
uocaret, & lanam, linúmue col
tum fuſo traheret, & ſic tradidit
nubendam, vt viro forti par
œconomica tractaret & curare
Sic in vitijs mulierũ debellan
denter ac fortiter eſt agendu
ipſis conueniunt, & ex natura
tunt tradenda; quæ verò earu
um antecellunt, ac ſupra vires
ferenda, ac ſurripienda veniunt
tutibus connectenda ne in viti
tantur, hoc dictitant morale
ſophi, vitia vt corrigantur, vi
eſſe connectenda, vel opponen
ſunt quæ ad Ethicam poſſunt re
qua ratione & quo mentis
Amazonum hiſtorias ad arca
mica reuocare valeamus, id ipſu
um, ac difficile non admodu
Amazones ſales repræſentant. cùm Amazones nobis exhib
repræſentent ſales chymicos, qu
tro cuiuſcumque rei latitant:
præpotentes ſunt, & quamuis n
femineam præſegerant, nihil
arma virorum tractant, bel
Martis labores ſuſtinent: q
enim eſt laboris, & belli, in v
minum, ac animalium omniũ, a
um rerum perdurante natura, i
ſal centrale cuiuſcumque rei
po

poſtquam victum eſt ceſſat bellum, ac labor mixtorũ, quo perſiſtunt in indiuidui ſpecie. Eſt enim in omnibus naturæ rebus, inteſtinum bellum, Martēque illo furente pereunt omnia, & occidunt. Sales ſunt ſoli, qui Martis illius furori reſiſtunt, ac regnant, & imperant dum perſiſtunt: Natis maſculis non gaudent ſed eos occidunt, non ſecus ac Amazones, quia verè ſales naturales cuiuſcumque rei, corpora quæcumque interficiunt, quamuis ex ipſis oriãtúr, Sales tantùm centrales reſeruant tanquam ſui ſimiles, quibus mammam dextram inurunt, hoc eſt humiditatem alimentitiam corruptioni obnoxiam detrahunt, exſiccata, ac vſtulata hac alimentitia humiditate, quæ eſt verè mamma dextra, qua corpora quæque nutriuntur, hac ſublata, & inuſta pereunt corpora, elementis coadunata, Sale ſolo centrali perſiſtente, tanquam Amazonũ vera filia atque nata.

In omnibus rebus eſt bellum inteſtinũ

Mamma dextra vſtulata apud Amazones quid indicet.

Solus in rerum natura reperitur ſummus Alcides, hoc eſt ſpiritus vniuerſalis, qui hos Sales vincit ac debellat, hoc eſt fixat ac coagulat, ſpiritúſq; volatiles ſaliũ omniũ, qui acres ac mordaces ſunt, bello, Martéque potentes, dulces reddit, fixos, ac permanentes, & ita iure merito vincit, ac debellat, & præcipuè Hippolyten, Amazonum Reginam, hoc eſt Salem metallicum qui

Hippolyte quid apud

chymicos indicat.

verè altera eſt Hippolyte Amazonum fortiſſima,& imperatrix : Nam hic metallicus eſt eorũ ſaliũ omniũ potentiſſimus & cæteris omnibus imperat, cui potiſſimum ſpiritus generalis, Alcides noſter bellum indicit, ac ipſum ſuperat, ac debellat, ſpirituíque metallico, bellorum ſocio tradit,vt cum ipſo coniungatur nexu indiſſolubili,veluti Hippolyte data fuit,vt nexu matrimonij inſeparabili Theſeo iungeretur.

Spiritus metallicus eſt alter Theſeus

Eſt enim Theſeus ſpiritus metallicus, Herculis bellorum ſocius ac fidus Achates, quem Hercules ſummopere adamat,& quicquid pulchri,ac rari iure belli,ac Martis impetu acquirit, Theſeo ſuo tradit conuertendum, & præcipuè Hippolyten Amazonum Reginam quam perpulchram, ac potentiſſimam dedit illi deſponſandam : Hoc eſt, ſpiritus vniuerſalis Mercurij, poſtquam ſalem metallicũ,ex metallorum compage extraxit, depurauit, omnem extraneam & præter naturam, agendi facultatem ac potentiam in ipſomet domuit ac deuicit, tunc temporis detracto eius baltheo, hoc eſt corrodendi facultate ſublata, qua tanquam ſuccingulo prçcingitur, ſpiritui metallico puro puto, tradit coniungendum, vt ex his iunctis,ac connexis, oriatur tandem Hippolytus caſtiſſimus iſte filius, qui nefandos Phædræ nouercæ con-

Hiypolptus quid apud

Digitized by Google

cubitus fugiens ab equis ſuis monſtris marinis exterrefactis, currum ſuum per ſcopulos, ac ſaxa trahentibus loris implicitus in varias diſcerptus eſt partes, quem poſteà Æſculapius ab inferis reuocauit, & priſtinæ ſanitati reſtituit. *chymicos indicat.*

Ex coniunctione ſiquidem ſpiritus metallici, & ſalis puri eiuſdem oritur ſulphur illud, quod Chymici omnes exoptant, quod nefandos terræ impuræ tanquam alterius Phædræ amplexus fugiens, dum currum ſuũ conſcendit, patris iram fugiens, equis ſuis, per aëra volitat intrà vas in quo ſublimatur, tandem loris implicitus, hoc eſt coagulatus in varias diſcerpitur partes, dum in cinerem conuertitur, qui in infimo vaſis loco, perſiſtens gehennæ ignem patitur, ex quo loco tanquam ab inferis, à philoſopho peritiſſimo, tanquam ab alio Æſculapio reuocatur, & potione conuenienti, & nectarea, priſtinæ ſanitati reſtituitur, Quod fit dum potione aquæ Mercurialis multoties iterata, vitæ facultatem, penetrandi potentiam, ac tranſmutandi robur illi infundimus. *Hiſtoria Hippolyti chymicè explicata, totam artem complectens.*

Hîc latet tota Alchymiæ ars, ac latè, diffuſéque expanditur omnibus qui ſummis ferè labris chymiam deguſtarunt: Siqui ſint qui adhuc conquerantur, quòd non clariùs adhuc locutus ſim, ſciant ipſi ſi chymici ſint, illis

hoc ſolum ſufficere, vt artem penitus habeant notam, non tamen abſque labore ſummo, & meditatione profunda: laborent ergo neceſſe eſt, ſi laboribus Herculis perfrui: velint pigros enim ac nihil penſi habentes, nec Herculis claua, nec Leonis Nemæi inſignia decent.

AD INFEROS DESCENDENS Hercules, Cerberúmque iter prohibentem triplici catena vinctum ad ſuperos trahens, quid piochymicis portendat.

CAPVT XXII.

Mori commune eſt omnibus.

MORI humanum eſt, ac omnibus hominibus ſtatutum, legéque diuina ſancitum eſt; nihilominus pauci ſunt qui Herculis virtute freti, mortis iter aggrediantur, & ad inferos intrepidè deſcendant. Cerberus adeſt, qui triplici gutture in nos allatrat, & ab

Cerberus quid ſit.

hoc heroïco labore, nos tremulos auertit, corpus hoc eſt, quod triplici facultate, naturali, vitali, & animali, tanquam triplici capite, ac gutture mortis vias difficiles, ac arduas nobis oſtendit. Sed hæc omnia vana ſunt: deſcendendum tandem eſt, Cerberúſque iter prohibẽs triplici catena vinctus, ad ſuperos trahendus; niſi enim hoc fiat ſuperas non poſſumus euadere ad auras, quòd inclytæ virtutis eſt opus ac labor, ſed mortis perpetua mancipia ſumus, & nullum corruptionis noſtræ ſcimus orientem, ſed perpetuis Solis occaſi tenebris immerſi, permanemus. Mori quidem perfacillimum eſt, at mortis æternæ effugere ſepulchrum & hinc æternæ vitæ frui lumine, ac gloria, eſt verè Herculem imitari, ad inferos deſcendere ſuperáſque euadere ad auras, quod præclarè nobis cecinit Virgilius dum canit his verbis poëtico metro menſuratis.

——————— *Facilis deſcenſus Auerni*
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis,
Sed reuocare gradum ſuperáſque euadere ad auras
Hoc opus, hic labor eſt. Pauci quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus
Dìs geniti potuere.

Qui nobis viam, ad inferos deſcendendi patefecere, ac modum docuere,

quo Cerberus deuincitur, ſuperáſque trahitur ad auras, hoc eſt mortis vias nos docuerunt, in quibus Cerberus, hoc eſt corpus noſtrum proſternitur omnimodo,ac triplici catena vincitur, amore,putà gratia, & puritate,his enim nodis tanquam vinculis,ad cœlum trahitur Cerberus, qui tamen triplici capite,ac gutture,ſeu triplici ſua facultate in nos allatrat, vt mortem vitæ theſaurum terribilem nobis efficiat, & ab his terrenis ac infimis laboribus nos auertat,ne ab his editis & exantlatis cœlum petere valeamus: præter naturam enim eſt, ac extra omnes diuini ſtatuti leges corpus, cœlorum intima ac penetralia inuiſere, abſque morte præuia in qua putrefieri neceſſe eſt, corporiſque maculas omnes deponere, & candorem qui cœlo competit acquirere, quem candorem ac nitorem mors ſola, per putrefactionem, & per puri,ab impuro ſeparationem dare non poteſt, nî amor diuinus,ac gratia cœlitus infuſa ſuperueniant, quæ corporis candorem ac nitorem cœleſtem perficiunt, & abſoluunt, & ſunt vincula, & catenæ, quibus anima noſtra, ſeu diuinus Alcides corpus ſuum ad ſupercœleſtes euehit auras.

Corpus eſt Cerberus qui nos à morte terret.

Vincula quibus vincitur Cerberus qualia ſint.

Hæc eſt diuina Alchymia, quam vir fortis ac prudens,ſequi ac tractare omni animi conatu habet, hac ſi potiri

queat nulla alia indiget, cùm ex ea ſola, & corporis & animæ perennes & incorruptibiles emergant diuitiarum & omnium theſaurorum fontes.

Si quis tamen aliam Alchymiam corruptibilem & temporaneã habere cupiat, & ex his ſemierutis antiquorũ parietinis colligere eam velit, contempletur quæſo, quid ſit ad inferos deſcendere Cerberúmque triplici catena vinctum, ab ipſis tenebrarum antris ad lucem reuocare, & diſcet forſan modò animi, ingeniјque robore valeat, inferos eſſe centrum cuiuſcumque rei, cuius limini, Mercurius vitæ, adeſt alligatus, qui totam rei occultam naturam, terrenámque ſupellectilem fideliter cuſtodit, non ſecus ac Cerberus Plutonis, ac Ditis antra inuiolanda conſeruat. *Inferi qui ſint.*

Mercurius ſiquidem vitæ, verus eſt Cerberus, triplici enim conſtat ſubſtantia, Salis, Mercurij, & Sulphuris, quæ ſunt Mercurio triplicia capita, ac guttura quibus omnia vorat, & ad inferos deducit ſeu morti tradit, ſua mordaci, ac acri Salis natura, ac facultate, quâ tanquam canino dente, ac gutture omnia, ad materiam vſque primam reducit: eſt enim proprium Salis omnia interficere & ad vltima ortus ac interitus principia deducere, ideò traditur Salem eſſe cuſtodem totius formæ ac *Mercurius eſt item Cerberus.*

terrenæ omnis virtutis, & Cerberi inferorum cuſtodis veram nobis exhibet imaginem, ob quam rem miretur quæſo rei chymicæ alumnus cariſſimus, ſubtilem & acutam Græcorum hanc fictionem, qua ſub tegmine huius fabulæ, illi manifeſtatur arcanum totius naturæ potentiſſimum: per Herculem ſiquidem noſtrum, ſeu ſpiritum Mercurij ad inferos deſcendimus, hoc eſt omnia ad primam deducimus materiam, in qua ſola Cerberum inuenimus, triplici gutture allatrantem, ſiue Mercurium Philoſophorum triplici ſubſtantia agentem, quem ad ſuperos triplici catena vinctum deducere oportet, hoc eſt perficere debemus, ac omnino depurare, & ab omnibus terræ maculis vindicare, ac tandem coagulare, ac figere, & triplici vinculo perligare: oportet etenim ſubſtantiam Mercurialem ſubſtantiam ſulphuris, ac ſubſtantiam Salis, quæ in eo reperiuntur permanentes, ac omnino fixas eſſe, eáſque puras, ac ætheris & cœli naturam imitari: Alioquin nihil ſecreti, & arcani huius Plutonici deguſtabimus; campos Elyſios, ſeu felicitatis humanæ vltimos terminos non videbimus; quia inuictus Cerberus, & triplici illa catena non deuinctus prohibebit iter ad inferos, hoc eſt ſecreta & arcana quę in centro latent cuiuſcumque rei &

Qua triplici catena vincitur Mercurius.

præcipuè metallorum, quæ ſunt Ditis ac Plutonis domus, ac palatia magnifica, non inuiſemus; Cerbero enim non deuincto ad inferorum prohibetur iter: Eo autem ſuperato, quicquid eſt in regno Plutonis manifeſtum & apertum habemus, & ſic gradum reuocamus, ſuperáſque euadimus ad auras.

Hoc omne tibi domeſticum erit, Alchymiæ candidate, ſi ſcias dare Mercurium Mercurio, & ignem igni, in hac enim ſola operatione deſcendet Hercules ad inferos, Cerberúmque iter prohibentem, triplici catena vinctum, ad ſuperos trahet. Compara tibi ſolum Herculem, & ſcias illi Theſeum ſuum comitem inſeparabilem adminiſtrare his ſolis ducibus, quicquid erit in regno Mercuriali, imò & vegetabili, & animali, certo certiùs tibi comparabis.

ALCESTEM ADMETI Regis coniugem ab inferis ad virum reducens Hercules quid Piochymicis indicet.

CAPVT XXIII.

Virtus eſt ſemper memorabilis.

NVNQVAM ad Stygias fertur ad vmbras inclyta virtus, quin gradum reuocet, ſuperáſque euadat ad auras : id apertum habemus in Alceſte Admeti regis cariſſima coniuge, quæ vt virum ſuum, à faucibus Orci eriperet, fatalémque diem illi prorogaret, pro ipſo mori non recuſauit, vt Parcis ſatisfaceret, quæ Admeto Regi in gratiam Apollinis tantùm gratiæ, & fauoris erogitantis promiſerant, ſe fatalem illi diem prorogare, modò quis amicorum fatalem illum diem pro ipſo ſubire vellet : inter autem omnes, tum ſanguine proximos, tum amicitiæ vinculo connexos, ſola inuenta eſt coniunx, quæ ſe alacriter pro marito ſuo

Digitized by Google

Parcis obtulit, vt immatura ſua morte, maturam ſui mariti mortem immaturam efficeret, ac in longius vitæ æuum prolongaret.

Virtus fuit inſignis & amor Alceſtes, quo ſolo meruit, vt ab inferis ab Hercule reuocaretur ad maritũ ſuum Admetum: quod nobis indicio eſt heroïcas virtutes ac facinora præclara, nunquam perpetuis obuelari vmbris, nec ſilentij obſcuro puluere obuolui poſſe, quin tandem in lucem prodeant, & ſibi ipſi, & quibus facta ſunt, proſint. Virtus ipſa virtutem reuocat in lucem, etſi ſit occulta, & tenebris inuoluta Cimmerijs, imò & ex ſepulchro vires maiores acquirit, & famam celebriorem, quocirca ne nos territet mors, ac ſepulchrum, ad præclara facinora tentanda, virtutíſque iter incedendum, ab ipſa morte, & ſepulchro nos eripit virtus, inuitis ac nolentibus Parcis & fato ipſo recuſante: domat enim omnia virtus, & ſola eſt expers ſepulchri, qui bene, virtuoſè, ac fortiter viuit, bis viuere dicitur, imò perenniter cùm ſola ſit æterna virtus, & qui per virtutem perit, nunquam pol interit.

Alceſte quid indicet.

Qui bene viuit bis viuere dicitur.

Si Alceſte Ethicis ſit virtus, Chymicis Philoſophis erit humiditas radicalis metallica, aut cuiuſcumque rei alterius quæ vera eſt coniux Admeti, ſeu Sulphuris vitæ, cuius armenta ſeu ſpiritus

Alceſte quid apud Chymicos indicet.

vitales, per longum temporis ſpatium paſcit Apollo, humanitérque receptus, à Parcis impetrat, vt fatalem mortis diem effugere queat, modò pro illo, quis amicorum aut conſanguineorum mortem oppetere velit: at inter ſuos conſanguineos, & amicos ſola inuenta eſt ſua coniux, quæ vitæ ſuæ diſpendio, mariti vitam à morte redemit.

Alceſtes hiſtoriæ explicatio.

Sulphur pariter hoc noſtrum, quod vitalium ſpirituum eſt author & paſtor, Apollinem cœlo ac Olympo depulſum, apud mortales exulantem & ſpiritus ſulphuris vitæ tanquam Regis Admeti armenta paſcentem humaniter recipit, hoc eſt influxum Solis, è cœlo deſcendentem in ſe recipit, & ſe cum illo amicitiæ vinculo coniungit, in cuius rei beneficium Apollo, ſeu influxus iſte cœleſtis, dat illi virtutem, ac robur prorogandi vitam in longius, modò vnus ex conſanguineis & amicis ſuis, hoc eſt, modò Mercurius vel ſal, vel ſpiritus vitalis aliquis vice illius mortem oppetere velint. Inter quos ſolus inuenitur Mercurius ex quo fit aqua Mercurialis, quæ eſt illi tanquam vera coniux & vxor ſulphuris, quæ vitæ ſuæ diſpendio, mortem oppetere non recuſat, modò ſulphuris vitam redimere queat, & à mortis & corruptionis ſepulchro vindicare: hoc claret in Arcano metallorum: Mercurius ſi-

quidem qui eſt vxor ſulphuris noſtri, dùm ambo in lectulo Philoſophorum concumbunt, Sulphur præſeruatur à morte, etſi mori videatur, Mercurius verò vice illius mortem oppetit, & Acheronta tranſmeat: donec Hercules, qui eſt Aqua noſtra Mercurialis, Plutonis ac Ditis antra inuiſat: hæc enim aqua Mercurialis Acheronte refuſo, & Cerbero ſuperas tracto ad auras, vitam tribuit humiditati radicali iſtius arcani, & ſuſcitat illam, & vnà cum corpore ſuo reducit ad lucem priorem, & reddit ſulphuri ſuo nitidiorem & puriorem, quàm prius fuerit: & ſic dicitur Hercules Alceſten ab inferis reuocare, & ad virum ſuum, ſeu ad ſulphur noſtrum deducere, vt pacatè iterum viuant, & feliciſſimum ducant æuum: humiditas ſiquidem hæc, è corruptione & morte ſua ſuſcitata & calido ſuo, ſeu ſulphuri ſuo, coniugali vinculo ſociata, eſt Arcanum Philoſophorũ, de quo dicitur apud Hermetem: fortitudo eius integra eſt, ſi verſa fuerit in terram, & in cœlum aſcenderit, iterúmque in terram deſcenderit, ſuſcipiens vim ſuperiorum & inferiorum, de quo clarius loqui Chymicis non conceſſum eſt, ne ſigillum Hermetis perfractum velint.

Vires aquæ Mercurialis.

Aqua Mercurialis congelata eſt Arcanum phyſicum.

AB INFERIS REVERSVS Hercules, Lycum Thebarum Regem quòd Megaræ coniugi vim inferre voluiſſet, interficiens, quid Piochymicis demonſtret.

CAPVT XXIIII.

Virtus omnia tentat.

NIHIL tàm altè conſtituit natura, quò virtus non poſſit eniti; nihil enim intentatum reliquit virtus: Poſtquàm ſe ipſam probauerit, alios etiam ſibi coniunctos ſimilibus, aut difficilioribus rerum fortuitarum caſibus probare tentat.

Virtus ſæpiſſime exulat, ſed ab exilio redit potetior

Sæpe ſæpius exulat virtus, & ad inferos deſcendit, tenebris obſcuratur, ac caligine denſa inimicorum quamplurimorum, qui in ipſam virrutem velut nubes in ſolem præteruehunt, at tandem etiam aliquando reuocatur ab inferis, & redit ab exilio potentior multo quàm fuerit antea: Inimicos vincit ac ſuperat, non ſecus ac ſol diſſipat nubes, quæ illius lumen pro tempore obſcurauerant, hoc nobis præ oculis

exhibet Hercules ab inferis rediens & Lycum Thebarum regē quòd Megaræ coniugi vim inferre voluiſſet interficiens.

Quis enim eſt inter viros fortes,ac virtuoſos, qui non tandem famæ aut gloriæ ſuæ detrimentum patiatur, & ſui ipſius ſplendoris & luminis eclipſim ferat, & ſic ad inferos deſcendat? quo tempore Lycus inſurgit in Megaram Herculis coniugem, hoc eſt in famam & gloriam virtutis noſtræ, inſultat Lycus ſeu Zoïlus,ac inuid⁹ ac famæ virtutis noſtræ coniugi obloquitur & ſic vim inferre tentat. At cùm in priſtinum ſplendorem redit virtus, ac ab inferis reuertitur, Lycos hos omnes, ſeu zoilos, ac inuidos interficit,diſſipat, ac fugat, quicquid attentatum eſt. Simile nobis exhibet ſimulachrum corpus noſtrum, dum diuino ac ſupercœleſti numine,ac virtute redit à morte in vitam in ſua reſurrectione, vitium omne interficit, ac fomitem peccati omnem extinguit, quòd animæ, ſeu Megaræ ſuæ coniugi vim inferre voluiſſet: Vitium etenim eſt quaſi Lycus, qui ſemper in animam inſultat, ac eius famam, & gloriam obſcurare tentat, donec corpus ſuum ab inferis redeat, hoc eſt à corruptione in vitam emergat, tunc temporis purum coniungetur puræ animæ, & vitia omnia

Nihil eſt in rerum natura quod detrimentum non patiatur.

Vitium Lycus eſt.

in ea extinguentur, quæ eius gloriam interficere tentabant.

In omnibus rebus eſt corpus, anima & ſpiritus.

Id clariùs in regno mineralium manifeſtum habent Spagyrici omnes, qui centrum mineralium ſpeculantur. Eſt enim in omnibus mineralibus, vt & in reliquis omnibus naturæ mixtis, corpus, anima, & ſpiritus, quæ tria in reſolutione rerum omnium ab inuicem ſeparantur & in ſeparatione ſpiritualem omnino acquirunt agendi potentiam, ac miram penetrandi virtutem, Adeò vt corpus ipſum, poſt putrefactionem ſuam & mortem, ſeu ab inferis rediens, potentiam habeat interficiendi ſpiritum, hoc eſt coagulandi, ac fixandi: in coagulatione ac fixatione ſpiritus dicuntur interfici, ac verè mori, vnde præclarè admodum, ac doctè dixerũt Græci Herculem ab inferis redeuntem Lycum interfeciſſe, quòd Megaræ ſuæ coniugi vim voluiſſet inferre. Hercules hic, corpus eſt, tanquàm omnium fortiſſimum, quod ex putrefactione rediens ſpiritum ſuum aggreditur, & fixat, ac coagulat ipſum, & ſic interficit, quòd Megaræ ſuæ coniugi vim inferre voluiſſet: Spiritus ſiquidem eſt ille ſolus, qui putrefactionem in rebus molitur, dum ergo corpus putrefit, ipſe tunc temporis animæ ipſi vim infert, ac corrumpere tentat, ſed cùm putredinem neſciat, ob ſeminis

Spiritus qua ratione dicantur mori.

Spiritus in Chymicis eſt ſolus qui mortem molitur.

nis

nis ignei & ætherei copiam, qua turget irriti ſunt conatus, ideò dum corpus ſurgit ab ipſa elementorum ſuorum corruptione in nouam compoſitionis puritatem ac candorem, inuenit ſpiritum ſuum animę ſuę occupatum, comprehēdit ipſum, coagulat ac fixat, & ſic interficit, ac necat Lycum Thebarum Regem, hoc eſt ſpiritum, totius arcani metallici, ac theſauri Chymici verum & vnicum Regem.

Eſt enim ſpiritus metallicus verus Lycus, hoc eſt verus Lupus: λύκος enim Græcè, ſonat Lupum, & apud authores Chymicos ſpiritus hic metallicus, Lupus cognominatur, vt videre eſt apud varios artis Spagyricæ authores, & præſertim apud Baſilium Valentinum antiquiſſimum Chymiæ artis authorem: Lupus verò cognominatur, ea ratione, quòd voret corpora rerum omnium, & putrefactionem inducat & mortem rebus omnibus, & vt Lupus animalium omniū voraciſſimus carne paſcitur, ac nutritur, ſic & Lupus Chymicorum qui eſt eorum ſpiritus ex metallis extractus, qui eorum aquam Mercurialem conſtituit & componit, carne paſcitur & ſanguine metalli noſtri, ac adeò conſumit illud, vt nihil niſi terram aridam & ſterilem relinquat, quam caput mortuum dicimus, & terram damnatam, quā oſſibus ab omni carne denu-

Lycus quid indicet.

Tractatu de occulto lapide Philoſophorum.

datis æquiparare poſſumus, quos lupi linquunt tanquam inutiles & nutritioni eorum nihil facientes.

AQVILAM QVÆ EXEDEBAT perpetuò renaſcens Iecur Promethei in Caucaſo religati, ſagittis interficiens Hercules, quid Piochymicis indicet.

CAPVT XXV.

Aurum eſt rerum omniũ potentiſſimũ.

AVRI ſacra fames, quid non mortalia pectora cogis? tu verè es Aquila illa quæ corrodis ac exedis perpetuò renaſcens iecur Promethei in Caucaſo religati.

Homo diues auro ac argento præpotens eſt verus Prometheus, qui auro & argento fretus, imperium, vel potius tyrannidem in alios exercet, & ſic quod ſolis Dijs ac regibus competit, ſibi temerè arrogat, ignémque cœleſtem furatur, hoc eſt agendi, ac imperandi facultatem: Eſt enim hæc facultas, ac potentia cœleſtis ac diuina, quam Diuites auro freti, ac mammona, in paupe-

res crudeliter exercent, ac ſemper timent ne abeat, ac pereat, auro deſtructo: quocirca creſcit in ipſis habendi ac ditandi cupido, ac hydropica ſiti malè affecti, quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ, creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit: vnde meritò excruciantur Diuites ſtudio illo, ac dira libidine augendi ea quæ habent, eáque ſimul amittendi metu, vnde ipſis pecunia ſupplicium eſt, & verè Caucaſo religati, comedentis ac exedentis Aquilæ patiuntur roſtrum inſatiabile; niſi tandem diuinus adueniat Alcides, ſeu virtus inclyta, ac magnifica, quæ ſola famem illam inſatiabilem, ſeu Aquilam exedentem ſagittis ſuis enecat, ac interficit, ac iecur perpetuò renaſcens, quod eſt theſaurus perpetuò creſcens marceſcit tandem, ac contabeſcit ſepoſita theſaurorum cumulandorum dira libidine, quæ exedentis Aquilæ ſimulachrum in Prometheo nobis demonſtrat: Cura enim illa immenſa, ac perpetua ditandi depoſita, theſaurorum ac diuitiarum certus imponitur finis, & ſic eorum ipſis ſuppetit vſus: ſic ditiores ſunt ac beatiores, quod ſatis habeant, quibus contingunt nihílque amplius optent.

Iuuenalis

Pecunia eſt eſt ſupplicium diuitum.

Aquila exedens iecur Promethei quid ſit.

Beatiores autem ſunt Spagyrici Philoſophi, ſi Aquilam Chymicam quæ renaſcentis perpetuò iecoris carnes

exedit, ac comedit in Prometheo Caucaſo mõti alligato, ſagittis Herculis interficere valeant, infinitas ac immenſas poſſidebunt verè diuitias, nec tamen etſi habeant infinitos theſaurorũ aceruos, ac ſtudio acri, ac mordaci eos ipſos theſauros multiplicandi detinebuntur, cùm ſic partæ opes, ſinè cura ac ſtudio creſcant. At oportet antequàm hoc contingat: Alcidem ſagittis ſuis interficere Aquilam illam, quæ iecur perpetuò renaſcens exedit Promethei in Caucaſo religati.

Aquila apud Chymicos quid. Ideò Aquilam intelligimus Mercurium Philoſophorum, qui verè Aquila dicitur paſſim apud authores: is ſolus eſt, qui iecur comedit perpetuò renaſcẽs Promethei noſtri, hoc eſt, is ſolus eſt, qui comedit ſulphur noſtrũ perpetuò renaſcens arcani noſtri, ſeu Salis noſtri, qui verus eſt Prometheus, nam primò omnia in rerum natura finxit, ac conſtruit, & diſpenſat, cœleſtem ignem furatur ex rota Solis, hoc eſt calorem naturalem rerum omnium, qui verè cœleſtis eſt, & ex influxu Solari, accipit ac furatur, & centro cuiuſcumque rei alligat, cuius rei crimine, ſupplicio miro afficitur, Caucaſo putà religatur, & Aquilæ inſatiabilis patitur roſtrum, quæ illi perpetuò renaſcens iecur conſumit ac exedit.

Iecur Promethei, quid apud Chymicos.

Caucaſus Caucaſus nobis repræſentat naturam

lapidis,ac Petræ ſimulachrũ & effigiem, in quam ſubſtantia metalli noſtri conuertitur & cui alligatur,ob calorem internum cœleſtem in centro ſui ipſius creſcentem,qui ſubſtantiam illam & eſſentiam in lapidis ac duræ ſilicis naturam indurat.

apud Chymicos quid indicet.

Sulphur internum, quod eſt caloris naturalis vera ciſtula, perpetuò creſcens ac renaſcens,caloris naturalis externi,& alimentitij fotu,iecur illud perenniter creſcens nobis repræſentat. Aquila verò comedens ac exedens,eſt cõſumptio caloris illius naturalis, quam patiuntur res omnes, toto durationis ſuæ tempore: in Arcano autem Chymico, eſt Mercurius Philoſophorum qui Sulphur naturæ perpetuò comedit, varióſque colores apparere facit, donec tandem adueniat Hercules, hoc eſt vis illa fixans, ac coagulans, quæ Acrimoniam ſeu comedentis Aquilæ noſtræ naturam interficit, ſeu in rei permanentis ac perſiſtentis eſſentiam conuertit:tunc pacata fiunt omnia,nec Prometheus amplius cruciatur,ac dilaniatur corrodenti Aquilæ roſtro, hoc eſt fixum eſt, ac omnino perſiſtens calidum illud,& humidum illud radicale metallicum, nullos timens ignes, nec vllas famelicas Aquilas, quæ ſunt virtutes exedentes, ac corrodentes humidi ſeu calidi innati rerum omnium

Explicatio iecoris perpetuò renaſcentis Promethei.

quod nî perpetuò creſceret, breuis eſſet & curta vitæ ſupellex.

CYGNVM MARTIS FILIVM equeſtri certamine vincens Hercules, ac Theodamantem occidens, quòd ei cibum denegaſſet, illiúſque filium Hylam ſecum abducens quid nobis portendat.

CAPVT XXVI.

Belli compeſcere rapinas virtutis eſt opus.

BELLI compeſcere rapinas, ac populationes militum, aſſuetas ac vulgares actiones prohibere poſſe, eſt Herculeæ ac inſignis virtutis opus, & præſertim hoc in ſæculo, in quo dum militatur rapinis potius, populationibus ac furtis vacatur, quàm hoſtibus debellandis, imò occaſiones ac tempora opportuna hoſtem debellandi præterlabuntur: non vt bellum in longius protrahatur tempus, ad victoriam integram adipiſcendam, ſed vt rapinæ ac furti perſiſtant tempora, ac longiùs per-

durent. Itaque bellum hodiernũ verè dicere poſſumus rapinam ac furtum, non pacis inſtrumentum ac viam, ſed peſtis ac famis ſemitas ac vias certiſſimas: Plus enim diſperditur vini ac frumenti vno belli anno, quàm conſumi poſſit decem pacis annis. Ad tantam enim ſuperbiam, arrogantiam, ac immodicum viuendi modum inſoleſcunt milites, vt quaſi nunquam indigere deberent, omnia perdant ac conſumant: & ferunt ac patiuntur hoc belli Duces, magno iuris bellici detrimento: nam hinc morbi Epidemici in caſtris fiunt, neglecto legitimo, ac frugali victus regimine: hinc militum ſtrages numeroſa quàm maxima, pluſquàm in maximo prælio, quòd belli Duces euitare poſſent modò rapinam, & militum inſolentem arrogantiam & audaciam in ipſo belli limine compeſcerent.

Bellum hodiernũ quale.

Morbi Epidemici in bello vnde oriantur.

Sic Cygnum Martis filium deuincerent, ac Theodamantem occiderent quòd cibum illis denegaret: ex his ſiquidem populationibus ac rapinis, fames adeſt, & ciborum adminiſtrandorum denegatio, quæ militum ingentem aciem perdit, ac Duces ac Reges fruſtratur intentis: Quocirca vt hanc calamitatem effugiant & belli euitent Charybdim, neceſſe eſt vt hunc Cygnũ Martis filium, ac Theodamantem deuincant ac occidant, filiúmque eius

Quid ſit Cygnum Martis filium occidere.

Hylas eſt ordo ac iuſtitia militaris.

Hylam ſecum abducat,qui erit ordo legitimus belli, ac iuſtitia militaris, qua feliciſſimum militia habet exitum, ac proſpero rerum ſucceſſu terminatur. Alioquin in caſſum abeunt omnia, nõ ſecus ac in arcanis Chymicis peragẽdis, omnia peſsũ eunt,niſi in principio Hercules Chymicus equeſtri certamine vincat Cygnũ Martis filium, ac Theodamantem occidat,quod fit dum Mercurius Philoſophorum ferrruginem Sulphuris Philoſophorum occidit hoc eſt coquit, & ad perfectionem deducit.

In principio Lapidis Phiſici qualis appareat color.

In principio ſiquidem coctionis Sulphuris Philoſophorum, nulli apparent imperfecti colores, & præcipuè ferrugineus color, qui Martis naturam, ac proſapiam teſtatur, vnde iure merito materia Phyſica, tunc temporis verè poteſt nuncupari Cygnus Martis filius ac Theodamas, ob ferri imperfecti metalli naturam, quam præ ſe fert, & colorem vnde etiam à Philoſophis ferrum dicitur & calx ferri,neque vllo pacto mentiuntur,nec variiloqui ſunt.

Quocirca nî in principio coctionis noſtræ Mercurius, qui eſt verus Hercules noſter, deuincat Cygnum hunc Martis filium,ac Theodamantẽ, in caſſum abeunt omnia. & pereunt: ſed adhuc non ſufficit Theodamantem interficere, àt etiam oportet vt poſt in-

ternecionem patris,abducatur &Hylas, Theodamãtis filius cariſſimus, quẽ Hercules ducat oportet ad Colchicã expeditionem, & Argonautarũ fiat ſocius.

Hoc faciet prudentiſſimus Artis Spagyricæ alumnus, ſi poſt mortem Theodamantis, ac Cygni Martis filij interitum, hoc eſt poſtquam materia noſtra quæ ex Martis propagine eſt, mortua fuerit & putrefacta, & ſanguinem dederit ſuum, multique colores imperfecti ac medij apparuerint ac trãſierint, albúſq; apparuerit color, Sulphúrque albũ ſe ſublimauerit, ac in altũ ſe ſuſtulerit, quod verè dici poteſt Hylas Theodamantis filius propter varias mutationes & inſignes alterationes quas ipſum Sulphur patitur antequàm ad albedinem perducatur: Tunc enim temporis à Mercurio noſtro, ſeu ab Hercule abducitur, & ad expeditionem Colchicam conducitur. Nam certiſſimum eſt, Sulphur hoc album à Mercurio noſtro, tanquam ab Alcide, deduci, ad vltimum ac ſupremum perfectionis gradum, hoc eſt ad rubeam tincturam, quæ eſt ſupremum artis Chymicæ faſtigium, & vera eſt Argonautica expeditio.

Hylas qua ratione abducendus ſit.

Sulphur album eſt Hylas, & quare.

Nam vt Argonautæ nihil aliud ex hac periculoſa ac ſuprema expeditione reportarunt, quàm vellus Aureum: pari etiam ratione Sulphur hoc album

coctione continua in Mercurio Phyſico, non alia de cauſa, rubicundum pertingit colorem, quàm vt ad auri naturam omnia conuertat, & ad veræ vitalis vitæ tincturam deducat: quod nihil aliud eſt apud Chymicos antiquos, quàm vellus Aureum ex Colchica terra reportare; nam Colchos quaſi χάλκος dicitur terra ærea & metallica ex qua, arte & induſtriâ Chymica verum Aureum vellus reportamus.

Colchos unde dicatur.

CERCOPAS DEVINCENS Hercules dum Omphalæ Lydorum Reginæ ſeruiret, quid Piochymicis portendat.

CAPVT XXVII.

Virtus etſi ſit immemor ſæpe ſui, tamen magna operatur.

QVAMVIS otio torpeſcat virtus, & ſui ipſius aliquãdo obliuiſcatur ac dormitet; nihilominus ſemper aliquid heroïcum, ac magnũ, ex ipſo otio, ac virtutis ſomno eruitur, ac in lucem erũpit,

& hoc eſt Cercopas deuincere,& Omphalæ ſeruire: fuerunt enim Cercopes populi Pithecuſæ inſulæ,omni flagitiorum generi dediti, ac penitus criminibus ac vitijs nefandi, quos deuicit Hercules, ac ſuperauit,dum Omphalæ Lydorum Reginæ ſeruiret, cuius amore peribat, & cuius gratia tantum ſui ipſius oblitus eſt, vt clauam ſuam, cum cole permutauerit, in eóque lanam ac filum duxerit, ac alia Hercule indigna, peregerit, amore fœmineo inebriatus: cum his tamen abſurdis, ac tanto viro indignis,Cercopas deuicit, vt nobis ſit indicio, qui virtutem profitemur, ne vnquam adeò profundo torpeſcamus otio, vt omnes virtutis ſcintillæ, ac fauillæ, extinguantur; at in medio vitiorum, ac voluptatis centro eluceſcant.

Explicatio Omphalæ Reginæ Lydorum.

Sic quamuis Omphalæ Lydorum Reginæ ſeruiamus,hoc eſt voluptatum barathro ſimus immerſi; nihilominus Cercopas vincimus hoc eſt virtutis aliquid ex nobis exſurgit, vitia alia comprimendo,ac ſuperando.

Cercopas autem vincit Hercules, ac ſuperat in Chymicis operibus, dum eterogenea cuncta ſeparat, ac vitia corrigit omnia,quæ ex primo originali elementorum fonte terræ noſtræ exſurgunt. In dealbatione, ac mundatione terræ hoc contingit; ſolus enim

Cercopas quomodo vincat Hercules.

Solus Mercu-

rius terram dealbat.

Hercules noſter, id eſt Mercurius eſt qui dealbat ac mundat terram noſtram, & purificat ipſam, ac vindicat ab omnibus eterogeneis excrementis, ac interim Omphalæ Lydorum Reginæ amore vſtulatur, ac ipſius ſeruitutis durũ patitur iugum, ita vt veſtem ipſiuſmet Omphalæ induat, ac clauam ſuam, & Leonis Nemæi pellem, cum colo & fuſo, ac muliebri omni indumento permutet, ſui ipſius immemor, ac proſapiæ ſuæ oblitus, cuius Cupidinis flammas exardere videmus, dum intrà vitrum noſtrum, quod eſt palatium, ac baſilica Regia, in qua Hercules noſter, ſeu Mercurius terræ noſtræ incumbit, ac eius amore vſtulatur, atque eius viuis adeò flammis exardeſcit, vt veſtem terræ noſtræ, ſiue Omphalæ induat, ac in eius naturam conuertatur.

Quid ſit Herculem Omphalæ reginæ ſeruire.

Mercurius ſiquidem poſtquam terram dealbauerit, ac eius maculas omnes deleuerit, nexu indiſſolubili cum ea connectitur, & fiunt quid vnum incombuſtibile, ac omnium penetrabile. Sic iure merito dicimus Mercurium Omphalæ, ſeu terræ Spagyricæ amoris igniculo exardeſcere, & eatenus animitus illi ſeruire, ac Cercopas deuincere, dum quod terræ noſtræ inimicatur, ſeparat, ac conſumit.

PYLVM DIRIPIENS HERCVLES, eiúſque Regem Neleum cum tota eius domo, præter Neſtorem trucidans, ac Iunonem Neleo ferentem opem, telo triſulco vulnerans, quid Piochymicis commonſtret.

CAPVT XXVIII.

IN humanis rebus, quicquid virtutem non ſapit, virtus ipſa reſpuit, ac diripit: ſic Pylum quæ nobis humanitatem vitijs ſcatentem, ac redundantem exhibet, diripit Hercules, ac eius Regem ſeu ſuperbiam vnà cum aſſeclis omnibus ſuis, ac vitiorum ſupellectilibus diſperdit, ac interimit, præter Neſtorem tunc temporis forte fortuna exulantem, hoc eſt prudentiam humanam, quæ quamuis virtutis vmbram aliquam poſſideat nihilominus, ſi humanitatis ſortem miſeram, ac labilem, ex qua ortum habet, perpendamus,

Pylus quid demonſtret ethicè.

eam vitij radices, & ſuccos ſapere, ac redolere percipiemus : tamen qui virtutem ſequi tendit, eatenus virtutis ſobolem & aſſeclā conſtituimus. Vnde ab Hercule in perditione Pyli, totiúſq; Nelei domus, ſola ipſa prudentia ſeruata eſt, & meritò quidem; quia tunc temporis exulabat:Solent enim vitioſi homines in magnis vitæ periculis, & in ſupremo vitæ ſuæ termino, priuari prudentia, & quo magis ea indigent, tunc temporis patiuntur eam, ab eorum negotijs vrgentioribus exulare:confidunt tantū ſuis diuitijs, ac opibus, tanquam præpotenti Iunoni quæ tunc temporis Neleo, quidem ferre opem conatur, at irriti ſunt eius omnino conatus, Hercules noſter, telo triſulco, Iunonem illam vulnerat, & ſic vanos effici Iunonis in Neleum affectus.

Prudentia humana in arduis vitæ periculis ſæpe exulat.

Telum iſtud triſulcum quo Iuno, ſeu diuitiarum & opum confidētia vulneratur ab Hercule ſeu virtute, eſt vis illa heroica triplici robore inſignita, magnitudine putà animi, contemptu rerum infernarum, ac amore virtutis, quibus ſulcis telū Herculis armatur, ac Iunoni plagam, ac incurabile vulnus infligitur. Sic Pylum diripit Hercules, eiúſque Regem Neleum cum tota eius domo, præter Neſtorem interficit, ac Iunonem telo triſulco vulnerat Neleo ferētem opem, hoc eſt diuitias omnes

Telum triſulcum quo vulneratur Iuno quid ſit.

Quid ſibi vult Pylum diruere.

contemnit ac nauci pendit, magnitudine animi, contemptu rerum terrenarum, ac amore virtutis, quibus armatus Hercules ab officio ſuo, & rerum intentu nunquam deſiſtit ac deflectit.

Sic etiam apud Chymiæ alumnos interpretari poſſumus Pylum inſulam materiam eſſe Chymicorũ cui imperat Neleus,ſeu ſpiritus mineralis qui verus Neleus eſt: & nì ab Hercule noſtro interficiatur, eiúſque inſula,ſeu terra noſtra diripiatur, vnà cum tota ſua familia,non prodeſt quicquam in Chymicis operibus: Mercurius ſiquidem noſter, quem ſemper in Chymicis Herculem interpretati ſumus,terram Chymicam habet diruendam putrefactione, in qua putrefactione verè dicere poſſumus Pylum verè dirui,ac Neleum eius Regem, vnà cum tota ſua familia interfici,quia omnia diruuntur & corrumpuntur, ac interficiuntur omnes ſpiritus & præcipuè Sulphur noſtrum quod in hac Inſula imperat ac regnat. Præter vnam Salis naturam quæ illæſa, ac inconcuſſa manet, quæ Neſtoris nobis repræſentat effigiem,ſeu prudentiæ ſobolem, quæ rebus in aduerſis, ac ſummis vitæ periculis ac diſcriminibus ſemper conſtans, ac permanens eſſe ſolet.

Pylus inſula quid chymicè.

Neleus quid apud Chymicos.

Iuno verò quæ Neleo ferre opem conatur & triſulci telo ab Hercule vul-

Iuno quid apud Chymicos.

neratur, Aurea eſt natura incorrupta, ac cœleſtis quæ materiæ Chymicæ, ſeu terræ metallicæ ſubuenit, ac eam à corruptione,& morte vindicare tentat: at dum id ipſum tentat, ac molitur, telo triſulco vulneratur ab Hercule noſtro, ſeu Mercurio qui cùm triplici ſubſtantia conſtet, Mercuriali putà, ſulphurea ac ſalita, virtute illa triplici ſauciat ac vulnerat ipſam Auri naturam, ſeu tincturam, quæ in occulto metalli noſtri iacet, & ſic telo triſulco vulneratur Iuno, ab Hercule ſeu Mercurio noſtro dum Neleum ab ipſo mortis ſupplicio vindicare cupit.

Quid ſibi velit telo triſulco vulnerare Iunonem.

Qui ex Spagyricæ artis candidatis in ſupremo illo Philoſophorum arcano, terræ Chymicæ, variam ac diuerſam alterationem, ac mutationem contemplati ſunt, fortaſſe non mirabuntur: has abſtruſas, & occultas huius fabulę explicationes, at veras & ſynceras reputabunt, ac ex naturæ rei centro eductas: nec fortaſſe aliud præter id ipſum ſolum huius fabulæ author ſubintelligere voluit, dum hæc figmenta excogitauit: Sunt enim naturæ mira, quæ obſcuro hoc fabellæ velamento obteguntur, vt factitari ſemper apud antiquos ſolitum fuit, qui naturæ ſecreta tacere penitus, ſed filijs doctrinæ, & Hermetis alumnis pandere voluerunt: tali tamen modo, vt non omnino declarata

Antiqui ſecreta natura

declarata eſſent,ac manifeſta,ſed ænygmatis cortice obuoluta, vt ea detecta, ac confracta, doctis, ac dignis patefacta fierent vt obuenit in hiſce omnibus Græcorum fabulis, quæ miro artis Spagyricæ tegmine, ſecreta naturæ, ac artis miracula pandunt, nihilominus penitus occultant ac celant, his omnibus qui artis Spagyricæ ſacris initiati non ſunt nec Elementorum & naturæ myſteria occulta, vnquam contemplati ſunt, at potius naſo adunco ſuſpendunt. *ob'cure ſuſp-ſerunt.*

Hì certè nunquam telum Herculis triſulcum ſibi comparabunt vt Iunonem noſtram vulnerent, Neleúmque occidant, ac diripiant Pylum inſulam hanc auriferam, quam quidem auro deprædari ac ſpoliari vellent. At labores & Herculis certamina quæ in hac diripienda inſula ſubire debemus, penitus recuſant, imo neſcio quo glaucomate detenti, reputant artem Spagyricam vanam penitus & inanem, cui tamen inſudare deberent totis vitæ diebus, vt auro tandem potirentur inexhauſto, cui ſummopere inhiant: credant ſi velint tot Authorum authoritatibus, tot hiſtorijs, quibus mentiri nefas eſt, ſi colchycum verè vellus aureum habere voluerint, inſulámque noſtram Pylum diruere cupiant, vt Neleum cum tota ſua domo interficere poſſint, hoc

Sulphur natura eſt ſemen auri & metallorum omnium.

enim occiſo, & interempto, prodibit ſtatim in lucem Sulphur noſtrũ, quod eſt ſemen auri, quo ſolo egent Alchymiſtæ, vt aurum & argentum efficere queant de eadem materia ex qua natura ipſa in viſceribus terræ igne inuiſibili format cuncta metalla, ac ea ad perfectionem perducit, hinc auri & argenti micat ac lucet ſubſtantia.

EVRYTHVM OCCHALIÆ Regem occidens Hercules, ipſámque Occhaliam Vrbem delens & Iolem ſibi denegatam vi obtinens, eámque in Euboeam abducens, quid portendat Piochymicis.

CAPVT XXIX.

Vanitatem comprimere virtutis eſt.

VANITATIS aureos montes excelſos ac elatos, in nobis ipſis deprimere, hoc ſummæ virtutis eſt labor, ac opus: hoc eſt Eurythum Occhaliæ Regem verè occidere, tantæ enim fuit præſumptionis, ac vanitatis, vt Herculis amicitiam, ac conſanguinitatem nimis faſtidiosè reſpueret, ac Iolem illi in vxorem dene-

garet, qua re indignatus Hercules, oppugnauit Occhaliam ipſam Vrbē eamque funditus deleuit, Eurythum eius Regem interfecit, & ſic Iolem vi obtinuit, & in Euboeam abduxit ibíque mirificè adamauit.

Quod & viri fortes miro virtutis labore etiam in ſe ipſis quotidie experiuntur, dum vanitatis radices omnes radicitus auerruncant ex animis ſuis, ipſúmque vanitatis fontem penitus exhauriunt, tanquam Occhaliam diruentes: Sic Eurythum occidunt, & Occhaliam delent: Iolem verò in vxorem ſibi denegatam vi obtinent, hoc eſt ſinceritatem animi, ex illo vitiorum conflictu, ac victoria, magna animi contentione, tandem obtinent, ac in Euboeam ſecum abducunt, hoc eſt, in vitæ integritatem trahunt: εὔβοιος ſi quidem vitæ integritatem ſonat. Qui enim hominum Eurythum hunc Occhaliæ Regem occidere poſſunt ac Occhaliam ipſam Vrbem delere valent, hoc eſt vanitatem humanam comprimere poſſunt ac compeſcere, toto vitæ ſuæ tempore, in ſummam vitæ integritatem, ac ſinceritatem æuum ſuum verè trahunt ac ducunt. *Quid ſibi vult Iolem in Euboeam abducere.*

Diſpari iam ſenſu, Eurythum hunc, & Occhaliam ipſam interpretari poſſumus, in Chymicis arcanis, ſpiritum mineralem nigrificantem, ac corrumpen- *Quid ſit Eurythus in Chymicis.*

tem materiam noſtram Chymicam quæ verè, apud nos, vera Occhalia dici poteſt, cum occidat omnia quæ ei incumbunt:Hercules autem aduenìens & Iolem ſibi in vxorem poſcens hoc eſt terram puram,ac virginem,quæ in intimis Occhaliæ penetralibus habitat,ſpiritus mineralis innatus ac internus ipſius terræ Chymicæ; tanquam Rex, ac imperator ipſius terræ ſeu Occhaliæ vrbis, ac Pater Ioles denegat Herculi Iolē, ſeu terram hanc puram ac virginem, quam Sulphur terræ, ac naturæ dicunt Philoſophi Spagyrici, quam repulſam ægrè ferens Hercules, bellum indicit Occhaliæ Regi,ipſúmque debellat, ac occidit, vrbémque eius delet fũditus, Iolémque ſibi denegatam vi obtinet, ac in Eubœam ſecum abducit. Quod fit dum aqua Mercurialis ſeu Mercurius Philoſophorum terræ Chymicæ incumbens eam putrefecit, ac diluit ſpiritus innatos ac internos alterando, vnde diuerſi ac varij apparent colores, donec tandem vnus appareat color albus, ex quo tandem exſurgit terra foliata, ſeu Sulphur naturæ:pulcherrima illa terra,quæ nobis Ioles imaginem repræſentat, quam Hercules in vxorem ſibi expoſtulat adiungendam, denegatur tamen ab Eurytho, eius patre, quia terra illa Chymica, nunquam ex ſe dat illam terram puram ac ſuæ puritatis florem

Terra metallica pura per Iolem indicata.

Sulphur naturæ nunquã

quem Sulphur naturæ dicimus,niſi poſt ſui corruptionem ac internecionem,& mortem: vnde verè dicimus occiſo Eurytho Occhaliæ Rege,ac dirutâ Occhaliâ vrbe, tunc temporis Herculem vi obtinere ſuam Iolem. quia verè poſt terræ Chymicæ putrefactionem Mercurius Philoſophorum extrahit ex terra illa,florem illius, cum quo indiſſolubili vinculo connectitur, ac copulatur, ad rei metallicæ perfectionem.Sic enim Iole in Eubœam abducitur, hoc eſt in cœlum ſublimatur,ac in ſupremum puritatis,ac nitoris gradum euehitur dum per aquam Mercurialem,ab amurca, & fæce Elementorum omnium vindicatur, & à corruptione ſuæ terræ ſeparatur, donec nitorem,ac ſplendorem criſtallinum acquirat, & Herculis ſocietati, ac matrimonio dignam habeamus Iolem hanc, ſeu terræ noſtræ florem.Ex quo exſurgunt fructus immortales,de quibus qui guſtauerit vitæ longinquos videbit terminos, & ex oculis eius depelletur albugo, qua obtenebrātur oculi,ne videant arcana naturæ,quæ in centro illius continentur.

facile emergit ex terra metallica.

Sulphur natura quo modo extrahatur.

Fœlix térque quatérque beatus qui hos fructus habere poteſt vt ſibi ſoli egeat, nec vllius alterius vnquam ſit, cum verè ſuus eſſe poſſit, in cuius poſſeſſione vera conſiſtit fœlicitas ac vitæ tranquillitas, alienam enim viuere vi-

Aulicorum vita, non eſt verè vita.

tam, ad alterius ambulare gradum, & ad alterius dormire ſomnum ac cibo; ſumere, non ſibi viuere eſt, ſed alterius fulcro vitam ſuam ſuſtentare, quod ſi labeſcat, & vitam noſtram labi neceſſe eſt, quod verè viuere miſerè eſt.

Rumpamus ergo vitæ noſtræ nodos gordianos, vt noſtri ſimus, nec aliorum vitam viuamus: hoc vitæ munus facillime conſequemur ſi Herculi noſtro, Eurythum Occhaliæ Regem tradimus debellandum, ac occidendum, ac Occhaliam ipſam vrbem præbeamus illi diruendam, donec ſibi rapiat Iolem eámque abducat in Eubœã, ibíque indiſſolubili matrimonij vinculo, cum ea copuletur, vt huic exeant vitæ fructus, qui nobis, ac omnibus, qui eos deguſtant, vitæ tranquillitatem ſummam pariunt, ac nobis ſolis viuere faciunt, ac naturam omnem ex intimis eius Thalamis cognitam nobis patefaciunt nudámque nobis exhibent Dianam, ac Proſerpinæ ſacra tamdiu occluſa pandunt.

Vt beati ſimus quid agendum ſit.

VESTEM NESSI CENTAVRI ſanguine infectam à Deianira miſſam induens Hercules ac in rabiem verſus conſtructa pyra ſacrificaturus, ſe comburens, quid commonſtret Piochymicis.

CAPVT XXX.

Qua ratione, exuenda ſit veſtis Neſſi ſanguine dedelibuta.

VESTEM hanc humanitatis caducam ac labilem induti ſanguine Neſſi centauri infectam hoc eſt peccati labe ac maculâ contaminatam, exuere non poſſumus, quin Deo ſacrificaturi pyrâ conſtructâ moriamur, morte ſola itur ad aſtra: fœlicitatis æternæ palatia, ac magnificas domos ingredi non poſſumus niſi per mortis ſemitas ac vias, at prius oportet in rabiem ac furorem verti, ex veſte induta Neſſi centauri ſanguine imbuta, hoc eſt ex peccatis contractis, quæ vt expiemus in furorem ac rabiem excitari debemus, vt actum cõtritionis hinc elicere valeamus, vt con-

ſtructa pyra comburamus ea omnia, quæ mortalitatis noſtræ vitia ſapiunt ac redolent. Humanitas ipſa ſeu naturæ noſtræ imbecillitas, quæ nobis Deianiram repræſentat, nobis hanc veſtem cõtaminatam tranſmittit zelolypiâ laborans ſummâ, ſciens nos capi ac affici amore Ioles, ſeu animæ noſtræ, quam puram ac ſynceram poſſidere volumus. Ipſa verò Deianira, ſeu naturæ humanæ imbecillitas, vt redeamus ad amorem ſui ipſius & cultum, veſtem voluptatis, ac delitiarum, vitiorum omnium criminibus infectam ad nos tranſmittit, quam nos Deo ſacrificaturi induimus, & in ipſa vitia irruimus, ac tanto impetu ferimur vt in rabiem verſi, conſtructa pyra, & veſtem ipſam & quicquid mortalitatis vitij ſapit, ac olet cõburamus vt ſic mundo corde placeamus creatori Deo, & ſic cœlum vnà cum ipſo conſcendamus: Id certe operari debemus ſi Herculem noſtrum imitari debeamus, ac viri fortes, ac ſapientes haberi mereamur. Sapientia enim vera, virtus, ac fortitudo animi, in hiſce vitæ prælijs deuincendis conſiſtit, non coronabitur, qui legitime ac acerrime non pugnauerit ac vicerit. Et in pugna ipſa ac prælio quamuis moriamur, nihilominus vincimus, ac brabium victoriæ obtinemus, æternæ vitæ corollâ inſignitum, ac perornatum, vt cernere licet in vltimo hoc Herculeo labore.

Humanitas eſt Deianira.

Sapientia ac prudentia vbi conſiſtat

in quo cœlo donatur Hercules exantlatis tot ac tantis vitæ laboribus. In Chymicis Arcanis peragendis hanc veſtem à Deianira miſſam ſanguine Neſſi centauri delibutam diruere ac comburere debet Hercules in rabiem verſus ac furorem, vt pote perfectionis culmen ſummum adipiſcatur materia noſtra.

Deianira ſiquidem eſt natura Metallica, quæ cũ amore Herculis, ſeu Mercurij Philoſophorum pereat, dum ad perfectionem albedinis deuectus eſt, nec hic commoretur amore Ioles percitus & affectus, cõtinuato ignis calore veſtem ſanguine centauri delibutam induit Mercurius, quam mittit illi Deianira, ſeu natura metallica: hac veſte indutus Mercurius, in rabiem vertitur, ac in furorem concitatur, ac conſtructa pyra, ſe ipſum comburit tali ac tanta combuſtione, vt omnino moriatur, ſeu perfecte figatur. *Deianira eſt natura metallica.*

Quod ita fieri intelligent Chymicæ artis Alumni, vt ænygmatis limites omnes prætergrediamur, ſi poſtquam natura Chymica, colores omnes prætergreſſa fuerit, & ad albedinem vltimã peruenerit, eam ipſam iterum aqua Mercuriali inebriauerint ac potauerint, & aucto ignis gradu, eam calefecerint, ita vt ſanguine centauri Neſſi induatur, ac in ita in rabiem, ac furorem *Natura Chymica qua ratione vertatur in rabiẽ.*

conuertatur, donec rubicundiſſimum acquirat colorem, ac vltimum perfectionis gradum in quo quieſcit, quod eſt beari, ac in cœlum euehi, non ſecus ac Hercules, qui exantlatis huiuſce vitæ laboribus, vita functus, in numerum deorum tranſlatus eſt, quod contingit viris fortibus omnibus, qui recto vitæ tramite peracto, innumeris exantlatis vitæ laboribus præclaris, ac pijs, cœlo tandem beantur, ac vltimam & ſupremam vitæ æternæ fœlicitatem conſequuntur.

Fœlicitas ſemper cum labore acquiritur.

Quod ex vili materiæ noſtræ Spagyricæ ſubſtantia colligere facile eſt, quæ dum præparatur, tot & tantos patitur labores ac varias ſui mutationes, antequam vltimum illum ac ſupremum perfectionis gradum conſequatur, vt verè dicere valeamus, eam ipſam materiam Spagyricam Herculeos exantlare labores, ac monſtra deformitatis ſuæ ſubſtantiæ deuincere ac ſuperare, donec tantem vltimo ſanguine Centauri delibutam induat veſtem, ac penitus excandeſcat, ac in rabiem vertatur tantam, vt conſtructa pyra ſe ipſam comburat, ac verè moriatur, hoc eſt perfectè figatur, & in ipſa fixione vltimum puritatis gradum adipiſcatur.

Natura Chymicorũ Herculem imitatur.

Adeo vt cum ratione aſſerere valeamus materiam Spagyricam Herculem verè imitari, & quicquid ſub ænigmate,

huiuſce hiſtoriæ vel fabellæ contineri, id ipſum redolere meram Alchymiam, & Arcana huiuſce ſecretiſſimæ ſcientiæ nec quicquam aliud intellexiſſe huiuſce fabellæ inuentores: tanti enim pretij fecerunt Alchymiam antiqui omnes vt ne quicquam vnquam ſcripſerint abſque vmbra, ac cortice ænigmatis, ne indignis ars hæc patefieret, quod ſatis claret libris omnibus hac de re in lucem editis. Quocirca valeant iam omnes artis noſtræ candidati, & hæc illis ſufficiunt de Herculis laboribus.

CONCLVSIO
TOTIVS OPERIS.

LECTORVM aliquis forſan reperiri poterit, qui vanos hoſce labores exiſtimauerit, vanam eorum explicationem ac denique vanam omnem Alchymiam. At nihilominus ergo ipſe parcam illi tantum iniuriæ, cum neſciat quid faciat, nec quid cogitet, in tenebris enim & abyſſo ignorantiæ demerſus, ac eius luto obcæcatus, nequit eligere quod pulchrum eſt, bonum ac verum: difficillimum eſt qui

Qui vanam exiſtimant alchymiam vani & vacui verè ſunt

Ingarus pulchrũ ac bonũ eligere non poteſt.

bilę tumet,ac ictero laborat, de coloribus ferre iudicium cum omnia illi appareant bilioſo infecta colore, oculus ægrotat & ſuo quo imbuitur colore deluditur.

Mens myſochymicorum non diſpari ratione ſuo afficitur morbo quo deluditur,circa iudicium rerum Chymicarum quæ etſi obuiæ ſint, ac manifeſtæ, nihilominus obſcuræ, rancidæ, & vnguibus ſuis dignæ videntur,ac theatro ſcientiarum & artium eliminandæ, ea ſola ratione, quod obſcuriùs interpretentur, quam poſtulet voluntas ac deſiderium eorum, qui offas præmanſas expoſtulant, & arcana artis penitus explicata expetunt, & adhuc forſan acida,& palato non arridentia inuenirent.

Expectent quæſo in cœlum hiantes donec Æther aurum pluat, tunc enim temporis id continget, & à me explicatam habebunt artem Chymicam, vt in votis habent: rerum minuit maieſtatem qui reuelat myſtica,nec manent ſecreta,quorum turba fit conſcia. Lapides pretioſi,Adamantes & carbunculi, & artium omnium mira, omnium oculis non obijciuntur nec propatula fiunt, ſed ſcrinijs & cyſtulis perquam optimè obſeratis reconduntur, & ſolis his, qui hæc iuſto pretio mercari cupiunt manifeſtantur, irridentes autem

Arcana non ſunt diuulganda.

procul eliminantur, imo & baculis ſæpe ſæpius procul ab ipſis rerum pretioſarum arcis detruduntur.

Arcana Chimica verè ſunt arcana quod obſcure doceantur

Arcana Chymica lapidibus ipſis pretioſis, inſignioris ſunt pretij, & ideo meliori iure merentur recōdi,& fideliter obſeruari, ne obuia fiant omnibus: tunc enim non eſſent arcana,ſed triuialia & vulgaria quædam opera,quæ tandem vileſcerent ac quibus ſatiatum profanum vulgus nauſearet:occurrendum eſt tali nauſeabundo ventriculo, nec cibi ad ſatietatem ſunt illi propinandi,conſeruādus eſt illius appetitus, vt delicatiùs deguſtet ac prælibet ea omnia, quæ acri ac mordaci ſucco delibuta,& ſale Chymico condita offerimus, & idcirco prudentibus ac ſapientibus ſatis obuia atque penitus clara, & admodum grata, quibus ſolis placere ſtudeo,alijs autem placere diſplicere eſt.

Stultis placere diſplicere eſt.

Plaudant ergo Mineruæ alumni, & Panchymicum expectent meum, quo ſpero me illis omni ex parte ſatisfacturum, tanquam medullam veram totius naturæ in eo reſeraturum,vbi verè vitalis Philoſophiæ florem, vndiquáque micantem eluceſcet, & morborum omnium curationem tutam ac certam & nullatenus fucatam pandet. Hic pro Colophone libet hiſtoriam cuiuſdam puellæ enarrare quæ mihi inuiſenda data eſt,vt à cancroſis phage-

In panchymico tota erit natura explicata,& morbi humani omnes explicati & curati.

denicis capitis vlceribus turpiſſimè defœdatam vindicarem. Menſe Ianuario anni 1630. Apud locum Dauignonet quidam cauſidicus,qui cum ſibi ex miſerorum lachrymis venalis linguæ malleo, numiſmata cudere non poſſet,medicũ me turpiter deluſũ,morbo& morte puellæ cuiuſdam ſuæ,ab argento me emungere voluerit.Per ſororem quandam ſuam puellam illam facie obuelata tradidit inuiſendam ne mihi innoteſceret, rogatúmque eſt, ne Pharmacopœo & Chyrurgo innoteſceret morbus & puella vt medicamenta dare vellem, meis proprijs manibus fabricata, hiſce precibus obtemperans dedi illis vnguentum decantatum ac celebre, pro tinea capitis curanda apud Ambrobroſium Parè,Guidonem,& Gordonẽ, celeberrimos in Chyrurgia authores. Tribus tum demum,aut quatuor elapſis menſibus ab vnguento præſcripto & dato,poſtquam morbus ſummopere inualuerit,& caput fere totum occupauerit non ſolum pericranio exeſo,ſed& cranio ipſo corroſo,nam tinea illa phagedemica & cancroſa valde erat,de genere elephanticorum vlcerum : nullo alio adhibito conſilio, an totum caput perungendum eſſet tali vnguento, perunctum eſt, quid perunctum imò infarctum,& duorum fere digitorum craſſitudine incruſtatum,futuræ omnes

& commiſſuræ, eo vnguento coopertæ, & non ſolùm commiſſuræ, at etiam (piget me ac dolet veſaniæ tantum enarrare) aures omnes oppletæ ac delibutæ, ita vt magno cum cruciatu nulla Patris ſui, iam facti de nouo Chyrurgi commota pietate intra viginti quatuor horas mortua fuerit: quod non contigiſſet, ſi ſola aqua tepida caput lauaſſet. Mortua igitur puella conqueſtus eſt Rabula hic forenſis apud ſupremam Toloſatum Curiam de vnguento illo, à me præſcripto & dato, imperitíque medici pœnas me ſubire edicto publico volebat, nihilominus ipſemet cauſam meam patrocinatus, edicto publico calumniâ hæc omnis diluta eſt, & ideo rabulam hunc ſtultitia & fatuitate ſumma correptum per totum iam terrarum vrbem diuagari volumus, vt diſcant eiuſdem farinæ homines, nunquam ſe Chyrurgorum aut Pharmacopœorum officijs, & muneribus fungi debere, ne deprauatus medicamentorum vſus in ipſos retorqueatur.

FINIS.

Gloria & Laus ſit tibi Ieſu.

TOLOSÆ,
Ex Typographia PETRI
D'ESTEY, ſub ſigno
Præli Aurei, juxta
Collegium
Fuxenſe.

Digitized by Google